LINGUA LATĪNA

W. H. D. ROUSE

S. O. ANDREW

PRĪMUS ANNUS

W. L. PAINE

C. L. MAINWARING

OXONII

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

LINGUA LATĪNA

PRĪMUS ANNUS

BY

W. L. PAINE

AND

C. L. MAINWARING

OXFORD

AT THE CLARENDON PRESS

1912

PREFACE

The book is the result of three years' experience in teaching Latin on the Direct Method, during which time we have used the proofs in various forms. In a method, whose essential is spontaneity, it is intended rather to be suggestive—to present one line along which the principles of this method can be followed, and it must rest with the individual teacher to modify it, as his experience leads him. Further, it is still in an experimental stage, and we shall be most happy to receive suggestions both on the general scheme and on the details of the book, from teachers using it. In scope it includes practically all constructions which do not involve the Subjunctive Mood or Oratio Obliqua, and can be done in a year by an average class which devotes an hour a day to Latin.

We wish to express our thanks to Mr. S. O. Andrew for his great assistance in the scheme of the book and the arrangement of the Grammar and Syntax; to Dr. W. H. D. Rouse and Prof. E. V. Arnold for reading the proofs and offering many valuable suggestions; and to Mr. E. M. Carter for the picture of the Villa Corneliana.

The need for accurate pronunciation, in a method where the appeal is largely made to the ear, is obvious, but a note of explanation may be necessary, of the

principle we have followed in marking the 'hidden' quantities.' We have marked the vowel long

(1) If there seems evidence of its length from its derivation.

(2) If it precedes the combinations *-ns*, *-nf*, *-gn*, e.g. īnsula, cōnferō, stāgnum; or the inceptive *-sc-*, e.g. expergīscor.

N.B.—discō is an exception to this rule.

(3) If it precedes a hidden *g*, e.g. tāctum (tan*g*ō).

Diphthongs and short vowels have been left unmarked.

W. L. P.
C. L. M.

Whitgift School, Croydon.
July, 1912.

Folding Plate at end.

INTRODUCTION

This course is an attempt to apply the Direct Method to the teaching of Latin. The method, when used for modern language teaching, is based on a psychological principle of imitation; the learner learns by imitating his master, by saying what he says, the grammar only coming in afterwards to explain practice. In the teaching of Latin, this method is modified in an essential particular by the character of the Latin language itself; Latin is so highly inflected, and so much of its syntax is strange to the learner, that the grammar must form the basis throughout and determine to some extent the arrangement of subject-matter.

In using the present book, the teacher will generally find a certain sequence of treatment convenient, or even necessary:

(1) Before a new exercise (or story) is touched, a new point of grammar has to be explained. This is put before the class by means of concrete examples, and then elucidated by reference to Pure Grammar; it is then applied by frequent and varied oral practice, drawn not from the story but from the vocabulary already possessed by the class; e.g. if the Accusative of Extent is under consideration the oral practice will consist of questions like the following: 'Quamdiū in

lūdō sumus cottīdiē?' 'Quam longe tū abes ā magistrō?' 'Quam longē tabula distat ā iānua?' and the like. In this way faults will be prevented from taking root; the oral practice should at any rate be continued until the new point of grammar is thoroughly understood and can be accurately applied.

(2) The story is now taken in hand, and is explained in the first instance (with books closed) by the master, in Latin, and driven home by repeated questions put to the class. It is important, in this stage, that the class shall not merely listen and understand but shall also speak; where they cannot explain anything themselves they must repeat the explanation given by the master. When they have got on a little way in the course they will begin to take down explanations of important words in their notebooks and learn them by heart.

(3) The story can now be read in class from the book; this should never be done until it can be attempted with confidence, and when it is done the teacher should insist upon intelligent expression. The subject-matter and vocabulary can now be set for homework; the hearing of it will usually lead to the story being reconstructed by means of question and answer, the questions being varied in every possible way to ensure plasticity and liveliness of mind.

Each teacher will use his own discretion about the 'pensa', bearing in mind the great principle that nothing is to be written down until it has been understood and practised.

It may be found difficult to apply the above rules at first, but they will become almost mechanical with the teacher as the work progresses; and as regards the first lessons of all in this book, it will be obvious that they are mere adumbrations, which leave the teacher scope for 'filling in'. It has been our experience that the use of the Direct Method in Latin awakens keen interest on the part of the learner. This interest is not necessarily an end in itself, but a good teacher will make it his business to take advantage of it in order to get out of the Latin lessons that exact and rigorous intellectual discipline which they ought to afford. One sometimes hears teachers say that the Direct Method makes a foreign language easy; such men betray themselves when they say so, for anybody who has seriously tried it knows that the new method is far more exacting, for teacher and learner alike, than the old. Yet boys take to it eagerly, for they cannot forget at any stage of it that they are occupied with something real.

S. O. ANDREW.

Whitgift School, Croydon.

PRĪMUS ANNUS

Prīma Lēctiō: *Lītterae et Prōnuntiātiō.*

Secunda Lēctiō: *Verbum.*

Recitā, respondē, surge, cōnsīde, dīc, venī.

Quid facis? Recitō. Quid faciō? Recitās. Quid facit? Recitat.

Recitāte, respondēte, surgite, venīte.

Quid facitis? Recitāmus. Quid facimus? Recitātis. Quid faciunt? Recitant.

Tertia Lēctiō: *Prōnōmen.*

Ego interrogō, tū respondēs, ille audit.

Ego et ille surgimus; nōs stāmus.

Tū et ille cōnsīditis; vōs sedētis. Illī veniunt.

Quis docet? Magister docet. Quis discit? Discipulus discit.

Magister etiam scrībit; discipulus spectat.

Nēmō stat, omnēs sedent. Omnēs recitant, nēmō silet.

Quārta Lēctiō: *Interrogātiō.*

Recitāsne tū? Minimē, magister, ego audiō.

Audīsne? Ita, magister, audiō.

Nōnne vōs sedētis? Sānē, magister, nōs sedēmus.

Surgitne ille an cōnsīdit? Neque surgit neque cōnsīdit, sed stat.

Audiuntne illī an spectant? Et audiunt et spectant.

Scrībōne ego an interrogō? Nōn scrībis, sed interrogās.

Intellegitisne omnēs annōn? Intellegimus.

Quīnta Lēctiō: *Nōmen.*

Quid est illud? Mēnsa est illa. Quid est hoc? Sella est haec.

Iānua, fenestra, tabula, crēta, carta, pāgina, lĭttera, lingua, dextra, sinistra, pila, camera.

Quid est illud? Nōnne scīs? Minimē, magister, nesciō.

Sexta Lēctiō: *Adiectīvum.*

Quālis est tabula? Quadrāta est tabula. Pila est rotunda.

Iānua et longa et angusta est, sed tabula lāta est. Crēta alba est, lingua rubra, tabula nigra. Iānua clausa est; fenestra nōn clausa sed aperta est. Neque haec lĭttera, neque illa rubra est: haec nigra est, illa caerulea.

Quanta est mēnsa? Māgna est mēnsa, sed sella parva.

Septima Lēctiō: *Cāsus Accūsātīvus.*

Quid vidēs? Crētam videō, ō magister.

Pāginam tangō, sūmō, teneō, pōnō.

Ego albam crētam habeō, vōs nigram tabulam vidētis.

Discipulus iānuam aperit; nunc aperta est iānua; apertam iānuam vidētis.

Magister fenestram claudit; nunc clausa est fenestra; clausam fenestram vidētis.

Parvam crētam sūmō; māgnam lĭtteram et longam sententiam scrībō.

Spectāte omnēs! Dextra sinistram tangit; nunc dextram sinistra tangit.

Octāva Lēctiō: *Adiectīvum Possessīvum.*

Mea est haec crēta; meam crētam vidētis. Tua est illa sella; tuam sellam mōnstrō. Mārcus suam sellam habet. Nostra tabula est haec; nostram tabulam spectāmus. Vestra camera est haec: spectāte vestram cameram! Magister suam cameram habet.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: recitō, stō, respondeō, sedeō, surgō, faciō, veniō.

B. Respondē:

(i) Quālis est iānua, fenestra, tabula, crēta, pila?
(ii) Quanta est mēnsa, sella, crēta, līttera B, haec sententia?
(iii) Quālem crētam teneō?
(iv) Quālem tabulam habēmus?
(v) Quālem pāginam tangis?
(vi) Quālem fenestram vidēs?
(vii) Quantam sententiam scrībis?
(viii) Quantam cameram habētis?
(ix) Cūius est crēta? camera?
(x) Cūius sellam habēs?

Nōna Lēctiō. *Prīma Dēclīnātiō.*

Carta Eurōpae.

Hīc est **terra, illīc** est **aqua.** Spectāte! hīc terram, illīc aquam vidētis. Quālis est terra? Terra rubra est, sed aqua caerulea. Nunc **īnsulam** mōnstrō; Corsica est īnsula, Britannia **etiam** īnsula est. Britannia māgna, Corsica parva īnsula est. Īnsulane est Ītalia? Minimē, Ītalia nōn īnsula sed **paenīnsula** est. Neque Ītalia neque Hispānia īnsula est; longa paenīnsula est Ītalia, Hispānia **ferē** quadrāta paenīnsula, Graecia **acūta** paenīnsula. Quālis terra est Helvētia? Helvētia neque īnsula neque paenīnsula est, sed terra **inclūsa.** Britannia est nostra **patria.** Melita **prōvincia** nostra est. Hīc Rōmam mōnstrō; Hispānia **erat** Rōmāna prōvincia; Gallia etiam Rōmāna prōvincia erat. Nunc **aliam** prōvinciam Rōmānam mōnstrō; Sicilia etiam, māgna īnsula, prōvincia erat, sed Germānia nōn erat prōvincia.

Pensum.

A. Ēdisce vocābula.

B. Scrībe respōnsa:

(i) Quid est Hispānia? Sardinia? Helvētia?
(ii) Quālis et quanta terra est Sicilia? et Ītalia?
(iii) Utra īnsula est māgna, Sardinia an Hibernia?
(iv) Utra paenīnsula est longa, Ītalia an Hispānia?
(v) Quae īnsula Rōmāna prōvincia erat?
(vi) Cūius patria est Britannia?
(vii) Cūius prōvincia est Melita?
(viii) Quālem iānuam habēs?
(ix) Quālem sententiam scrībis?

C. Scrībe interrogāta ad haec respōnsa:

(i) Pila est illa.
(ii) Linguam tangō.
(iii) Nigra est tabula.
(iv) Māgna īnsula est Britannia.
(v) Clausam fenestram vidēmus.
(vi) Vōs sedētis.
(vii) Britanniam nōn Galliam mōnstrō.
(viii) Mea est haec pāgina.
(ix) Melita est nostra prōvincia.

Decima Lēctiō. *Numerus Plūrālis.*

Carta Eurōpae.

Multae prōvinciae sunt, **ūna, duae, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem, decem. Quot** īnsulae sunt? Nōnne multās etiam īnsulās vidētis? **Ecce!** multās īnsulās mōnstrō, ūnam, duās, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem, decem. Multae et ferē **innumerae** sunt īnsulae.

Quot māgnae īnsulae sunt? **Paucae** sunt māgnae īnsulae, trēs vel quattuor, Britannia, Corsica, Sardinia, Sicilia.

Quantae sunt īnsulae? **Māgnaene** sunt omnēs? Minimē, nōn omnēs sunt māgnae. Hīc duās īnsulās vidētis;

altera **māgna**, altera parva est. Sicilia et Melita, quantae īnsulae sunt, māgnae an parvae? Altera est māgna, altera parva.

Illīc sex prōvinciās vidētis, Britanniam, Galliam, Hispāniam, Sardiniam, Siciliam, Graeciam. Māgnaene sunt annōn? Nōn omnēs māgnae sunt, sed **aliae** māgnae, **aliae** parvae sunt. Aliae terrae Rōmānae erant, aliae **barbarae** erant: sed prōvincia **nūlla** erat barbara.

Pēnsum.

A. Ēdisce vocābula.

B. Respondē:

(i) Quot et quae prōvinciae Rōmānae erant īnsulae?
(ii) Quot clausās fenestrās vidēs, et quot apertās?
(iii) Spectā cartam! Quot īnsulās vidēs?
(iv) Omnēsne fenestrae clausae sunt annōn?
(v) Omnēsne lītterās māgnās scrībis annōn?
(vi) Quot lītterās scrībis, **cum** 'carta Eurōpae' scrībis?
(vii) Scrībe contrāria: *multae, omnēs, haec, surgunt, silēte, respondēs?*

Ūndecima Lēctiō. *Ordinālia.*

Hōrae.

Duodecim **omnīnō hōrae** sunt. **Māne** sunt sex, prīma, secunda et **cēterae**; sexta hōra **merīdiēs vocātur.** Sex etiam hōrae sunt **post merīdiem. Quota** hōra est, cum māne surgimus? **Aut** prīma **aut** secunda hōra est, cum māne surgimus; secunda hōra est, cum **prandēmus**; tertia hōra est, cum Latīnam linguam discimus; quārta hōra est, cum Gallicam linguam discimus; quīnta hōra est, cum **mathēmaticam scientiam** discimus; nōna ferē est, cum **lūdimus**, ūndecima, cum **cēnāmus.**

Nox quattuor **vigiliās** habet, prīmam, secundam, tertiam, quārtam. Aut prīma aut secunda est vigilia, cum **dormīmus**; **deinde** trēs ferē vigiliās, novem hōrās, dormīmus et māne **iterum** surgimus.

Pēnsum.

A. Ēdisce numerōs.

B. (i) Scrībe *interrogant.*
Quot lītterae sunt?
Quot lītterās scrībis?
Quota līttera est t, r, g, n?
Quae līttera est altera, quārta, septima, nōna?

(ii) Quot hōrae sunt māne? Quot post merīdiem? Quot omnīnō?

(iii) Quota hōra nunc est? Quota est haec lēctiō?

(iv) Quota hōra est, cum Latīnam linguam discis? cum Gallicam linguam discis? cum mathēmaticam scientiam discis? cum prandēs? cum lūdis? cum cēnās? cum dormīs? cum surgis?

(v) Quot hōrās nox habet? Quot hōrās vigilia habet? Quot sellās habēs? Quot sententiās haec pāgina habet?

Duodecima Lēctiō.

Praepositiōnēs: Cāsus Accūsātīvus. (*Ubi?*)

Carta Eurōpae.

Discipulī **intrā** cameram sedent; magister **extrā** cameram est. Hic cameram **intrat** et **prope** tabulam stat et **ante** tabulam cartam pōnit. Nēmō nunc tabulam videt, nam **post** cartam tabula est, sed omnēs cartam spectant. Magister interrogat: '**Ubi** est Germānia, **suprā** an **īnfrā** Ītaliam? Nōnne intellegitis? Spectāte, dum hoc mōnstrō. Suprā Ītaliam est Germānia et Ītalia est īnfrā Germāniam. Quae īnsula īnfrā Ītaliam est?' Discipulus respondet: 'Sicilia īnsula īnfrā Ītaliam est.' Magister dīcit: '**Bene** respondēs; Ītalia **igitur inter** terrās Germāniam et Siciliam **iacet**. Ītalia etiam est inter paenīnsulās Hispāniam et Graeciam.'

Sicilia īnfrā Ītaliam et suprā Āfricam est: inter terrās igitur Ītaliam et Āfricam iacet. Helvētia inter Germāniam et Ītaliam iacet, Gallia inter Hispāniam et Germāniam, **vel** inter Ītaliam et Britanniam.

Spectāte nunc īnsulās: multās vidētis. Corsica est prope Sardiniam, Sardinia prope Corsicam. **Circum** īnsulās aquam vidētis, sed circum Helvētiam terrās.

Pēnsum

A. Dēclīnā: mōnstrō, iaceō, cēnō, prandeō, lūdō, dormiō.

B. Respondē:

(i) Ubi discipulī sedent? (intrā.)
(ii) Ubi magister stat? (extrā.)
(iii) Ubi est tabula? (post.)
(iv) Ubi cartam vidēs? (ante.)
(v) Ubi est Ītalia? (īnfrā.)
(vi) Ubi Sicilia iacet? (suprā.)
(vii) Ubi iacet Gallia? (inter.)
(viii) Ubi Britannia est? (prope.)
(ix) Ubi est aqua? (circum.)
(x) Ubi discipulus stat? (tabula.)
(xi) Ubi est Melita? (Sicilia.)
(xii) Ubi est Āfrica? (Eurōpa.)
(xiii) Inter quās paenīnsulās est Italia?
(xiv) Prope quam īnsulam Corsica iacet?
(xv) Quās terrās circum Helvētiam vidētis?

Tertia Decima Lēctiō.

Praepositiōnēs: Cāsus Accūsātīvus (Quō?) et Vocātīvus.

Camera.

Magister intrā cameram sedet; Mārcus **autem** extrā cameram stat. Hic iānuam **pulsat**, ille **clāmat**: '**Hūc** intrā!' Mārcus iānuam aperit, **in** cameram venit, **ad** mēnsam **it**, ante mēnsam stat; **tum**, '**Salvē**,' **inquit**, 'ō magister.' Ille respondet: 'Et tū salvē, Mārce; claude iānuam, ad sellam ī, cōnsīde!' Mārcus iānuam claudit, circum cameram **ambulat**, ad sellam it, cōnsīdit.

Magister nunc, 'Quīnte et Tite,' inquit, 'īte ad fenestrās!' Illī surgunt et ad fenestrās eunt et prope fenestrās stant. Magister ita exclāmat: 'Aperīte fenestrās!' Fenestrās aperiunt et ad sellās redeunt.

Pēnsum.

A. Respondē:

(i) Ubi Mārcus est? (camera.)
(ii) Quō intrat? (camera.)
(iii) Ubi stat? (mēnsa.)
(iv) Ubi ambulat? (camera.)
(v) Quō it? (sella.)
(vi) Quō Quīntus et Titus eunt? (fenestrae.)
(vii) Ubi stant? (fenestrae.)
(viii) Quō redeunt? (sellae.)
(ix) Quō Britannī eunt? (Gallia.)

B. Scrībe interrogāta ad haec respōnsa:

(i) Intrā cameram discipulī sedent.
(ii) In cameram magister venit.
(iii) Prope mēnsam est mea sella.
(iv) Inter cartam et tabulam discipulus stat.
(v) Ad fenestrās discipulī eunt.
(vi) Ad sellās redeunt.

Quārta Decima Lēctiō. *II Dēclīnātiō.*

Lūdus.

Lūdus est **locus**, ubi **cottīdiē puerī** discunt et magistrī docent: lūdus multās camerās habet, ubi discipulī magistrīque **labōrant**. Hic vīgintī ferē discipulōs docet et cottīdiē multās sententiās **corrigit**; illī audiunt, recitant, scrībunt; **loculōs, tabellās, stilōs** habent; multōs etiam **librōs** habent, **Anglicōs**, **Gallicōs**, **Latīnōs**: aliī librī **caeruleī** sunt, aliī **rubrī**. Circum cameram sunt quattuor **mūrī**; hic mūrus iānuam habet, ille fenestrās, tertius tabulam nigram, quārtus **pictūrās**.

Extrā lūdum **campus** lātus iacet; campum **per** fenestram **vidētis**; locus est, ubi puerī **lūdunt** et inter sē **currunt**. Lūdus autem est locus, ubi nōn lūdunt sed labōrant. Circum campum est **altus** mūrus.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: intrō, habeō, corrigō, eō, labōrō, currō, clāmō.

B. Respondē:

(i) Quālis est stilus, lūdus, liber, mūrus, aqua, campus?
(ii) Quālēs sunt discipulī, loculī, puerī, magistrī, pāginae, pīctūrae?
(iii) Quālem tabellam, lūdum, stilum, campum habēs?
(iv) Quālēs librōs, mūrōs, sellās habētis?
(v) Quot magistrī cottīdiē tē docent?
(vi) Quot mūrōs camera tua habet?
(vii) Quot stilōs, librōs, campōs, tabellās habēs?
(viii) Quot puerōs circum tē vidēs?
(ix) Quis prope tē labōrat? Quem prope tē habēs?
(x) Ubi sunt mūrī?
(xi) Quid facit discipulus?
(xii) Quōmodo vocātur locus ubi labōrās? locus ubi sedēs? locus ubi lūdis?

Quīnta Decima Lēctiō.

Praepositiōnēs: Cāsus Ablātīvus. (*Unde?*)

Camera.

Tertia hōra est: discipulī cameram intrant, ad sellās eunt, cōnsīdunt. Nunc magister etiam intrat et omnēs ex sellīs surgunt et exclāmant: 'Salvē, ō magister!' Ille crētam ā mēnsā sūmit et sententiās scrībit. Tum cōnsīdit et 'Recitate,' inquit, 'omnēs.' Discipulī ex tabulā recitant. Deinde magister 'Tū, Mārce!' inquit, 'ad tabulam ī et eam extergē!' Mārcus ā sellā ad tabulam it, prope tabulam stat, tabulam exterget; tum ā tabulā ad sellam redit. Quīntus et Titus ā sellīs ad fenestrās eunt, fenestrās aperiunt, ā fenestrīs ad sellas redeunt.

Magister, 'Aperīte,' inquit, 'librōs! Tū, Sexte, ex librō recitā.' Sextus autem respondet: 'Nūllum librum hīc habeō: extrā enim cameram est.' Magister, 'Ī igitur,' inquit, 'ex camerā et librum tuum pete!' Sextus ex

camerā exit, librum petit, in cameram redit, ex librō recitat. Omnēs nunc ex librīs recitant. Ūnus autem ex discipulīs Gallus est; ex Galliā venit neque Anglicam linguam intellegit: sed Latīnās sententiās bene recitāre potest.

Post lūdum magister ā mēnsā abit et ex camerā exit. Tum discipulī ā sellīs abeunt, ē lūdō exeunt, per campum currunt, domum redeunt.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: camera, sella, discipulus, magister.
exemplī grātiā: mēnsa, -am, -ā, stilus, -um, -ō.
-ae, -ās, -īs, -ī, -ōs, -īs.

B. Respondē:

(i) Unde surgitis? (sellae.)
(ii) Unde magister crētam sūmit? (mēnsa.)
(iii) Unde discipulī recitant? (tabula.)
(iv) Quō Mārcus it? (tabula.)
(v) Quō Quīntus et Titus eunt? (fenestrae.)
(vi) Unde abeunt? (fenestrae.)
(vii) Unde Sextus recitat? (liber.)
(viii) Unde Gallus venit? Germānus? Hispānus? Ītalus?
(ix) Quō īs, cum tertia hōra est? (lūdus.)
(x) Unde post lūdum puerī exeunt? (campus.)
(xi) Quō redeunt?

Sexta Decima Lēctiō.

Praepositiōnēs: Cāsus Ablātīvus. (*Ubi?*)

Lūdus.

In Britanniā sunt multī lūdī et campī; in lūdō multī puerī labōrant, lūdunt in campō; innumerī igitur discipulī in tōtā Britanniā sunt. In lūdis sunt multae camerae, in camerīs multae sellae, in sellīs discipulī sedent. In camerā etiam sunt quattuor mūrī; in prīmō mūrō est iānua, in alterō fenestrae, in tertiō tabula nigra, in quārtō pīctūrae.

Magister ā sellā surgit, crētam ā mēnsā sūmit, trēs sententiās in tabulā scrībit, prīmam in summā tabulā, alteram in mediā, tertiam in īmā. Multae lītterae in sententiā sunt, permultae in pāginā, in tōtō librō innumerae. Nunc magister cartam Eurōpae mōnstrat. In summā cartā est Britannia, ubi Britannī habitant; in mediā est Helvētia, in īmā Sicilia. Graecia est ā dextrā, ā sinistrā Hispānia. Graecī in Graeciā habitant, in Hispāniā Hispānī. In mediā aquā multās īnsulās vidētis.

Nunc magister in mediā camerā stat et ad sellās sē vertit. Fenestrae sunt ā dextrā, iānua ā sinistrā, sellae ā fronte, tabula ā tergō. Ad iānuam sē vertit: ubi sunt fenestrae, iānua, sellae, tabula?

Pēnsum.

A. Dēclīnā: tabula nigra, campus lātus, stilus ruber, liber māgnus.

B. Respondē:

(i) Ubi labōrās?
(ii) Ubi lūdis?
(iii) Ubi sunt camerae?
(iv) Ubi sunt sellae?
(v) Ubi sedētis?
(vi) Ubi magister sedet?
(vii) Ubi pīctūrās vidēs?
(viii) Ubi pēnsum scrībis?
(ix) Ubi magister prīmam sententiam scrībit? alteram? tertiam?
(x) Ubi sunt pāginae?
(xi) Magister sē ad fenestrās vertit: ubi sunt fenestrae, iānua, sellae, tabula? Ubi magister stat?
(xii) Ubi sunt Britannia, Hispānia, Gallia, Germānia, Āfrica, Graecia?
(xiii) Ubi sunt īnsulae?
(xiv) Ubi habitant Ītalī, Helvētiī, Germānī, Gallī?

Agricola Rōmānus.

In cartā appārent terra et aqua. In terrā sunt incolae—in Galliā Gallī habitant, in Germaniā Germānī. Hanc aquam Ōceanum vocāmus, sed illam fluvium. In Ōceanō nautae labōrant. Ister fluvius longus est et lātus; Padus, fluvius angustus et rapidus, per Ītaliam fluit. Prope Padum sunt clīvī altī; nūllī agrī in summīs clīvīs sunt, sed in īmīs clīvīs multī. Agricolae agrōs colunt. Agricola ita vocātur quia agrōs colit; nōn enim clīvōs summōs neque silvās colit, sed agrōs in īmīs clīvīs et in rīpā colit. Incolae Rōmānī multōs agrōs habent neque suōs agrōs colunt: agricolae igitur prō incolīs Rōmānīs in agrīs labōrant. Nautae nōn in terrā labōrant, sed in Ōceanō. Britannī nautae prō patriā Britanniā et incolīs Britannīs in Ōceanō pūgnant.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: fluvius longus, patria nostra, incola Rōmānus, agricola Gallus, nauta Britannus.

B. Respondē:

(i) Sī aqua circum terram est, quōmodo vocātur?
(ii) Sī per terram fluit, quōmodo vocātur?
(iii) Quid agricola colit? ubi labōrat?
(iv) Quālis fluvius est Padus? ubi fluit?
(v) Ūbi sunt agrī?
(vi) Quis agrōs colit?
(vii) Quī nautae in Ōceanō pūgnant?
(viii) Quī incolae in Galliā, in Ītaliā, in Hispāniā habitant?
(ix) Quō Padus fluvius fluit? et unde?
(x) Quid vidēs in rīpīs?
(xi) Cūius in camerā labōrās?
(xii) Prō quibus Rōmānī nautae pūgnant?

Duodēvīcēnsima Lēctiō. *Genus Neutrum.*

Arma Rōmāna.

Castra Rōmāna quadrāta sunt. Rōmānī vāllum circum castra aedificant, extrā vāllum terram fodiunt et ita fossam faciunt. In castrīs sunt multa tabernācula; sī tabernāculum intrāmus, arma et tēla vidēmus. Arma sunt galea et scūtum et lōrīca. Tēla sunt hasta et gladius et iaculum. Rōmānus iaculum acūtum iacit, hastam longam trūdit. Cum pūgnāre vult, gladium ex vāgīnā stringit.

Ecce! in pīctūrā Rōmānus gladium gerit; gladius ā dextrā, nōn ā sinistrā pendet. Bracchium sinistrum scūtum oblongum tenet; Gallus autem nōn scūtum, sed clipeum rotundum gerit. Sī puer Britannus pūgnāre vult, neque tēla neque arma habet, sed pūgnōs. Pūgnus et bracchium membra sunt; alia membra sunt collum, tergum, nāsus, oculī.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: tēlum acūtum, māgna castra.

B. Dēclīnā: pendeō, iaciō, trūdō, pūgnō, redeō.

C. Respondē:

(i) Quot colla, bracchia, oculōs, nāsōs, terga habēs?
(ii) Ubi sunt scūtum, gladius, tabernācula, vāllum, fossa?
(iii) Quae sunt arma? quae tēla?
(iv) Quāle est scūtum? quālis clipeus?
(v) Utrum bracchium clipeum gerit?
(vi) Quid Rōmānus stringit? Quid trūdit? Quid iacit?
(vii) Quōmodo multa in ūnō campō tabernācula vocās?
(viii) Utra castra quadrāta sunt, Gallica an Rōmāna?

Ūndēvīcēnsima Lēctiō. *Ablātīvus Īnstrūmentī.*

Arma Rōmāna.

Rōmānī, cum pūgnāre volunt, arma et tēla gerunt. Scūtīs enim sē dēfendunt; tēlīs autem, hastā, gladiō,

iaculō aliōs oppūgnant. Gallus nōn scūtō, sed clipeō rotundō, sē dēfendit. Puer Britannus nōn tēlīs armīsque pūgnat, sed pūgnīs; sinistrō pūgnō oppūgnat, dextrō sē dēfendit; oppūgnāre etiam nōnnunquam dextrō potest.

Membrīs nostrīs multa facere possumus: oculīs enim vidēmus, linguā recitāmus, bracchiīs pilam iacimus, dextrā stilum vel crētam, cum scrībere volumus, tenēmus; stilō in pāginā, in tabulā crētā scrībimus.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: sum, possum, volō, mē dēfendō.

B. Respondē:

(i) Quō īnstrūmentō in tabulā scrībis? In pāginā?
(ii) Quibus armīs Rōmānas sē dēfendit? Gallus?
(iii) Quō membrō scrībis? recitās? pilam iacis?
(iv) Quibus membrīs vidēs? pūgnās?
(v) Utrō pūgnō tē dēfendis? alium puerum oppūgnās?
(vi) Utrō bracchiō Rōmānus scūtum tenet?
(vii) Quibus tēlīs Rōmānus oppūgnat?
(viii) Potesne sinistrā scrībere?

Vīcēnsima Lēctiō.

Īnfīnītīvus. Cāsus Accūsātīvus. (*Quamdiū? Quam longē?*)

Titus Rōmam vīsit.

Procul Rōmā agricola et Titus **fīlius** habitant. Hic cottīdiē ad lūdum **it**: **bonus** enim puer est et iam Graecam linguam intellegere **incipit**. Suam linguam bene dīcere potest, quia magistrī bene docēre possunt. Nunc tredecim annōs **nātus** est et Rōmam īre vult. Itaque agricola Rōmam eum **dūcit**. Quia Rōma procul ab agrīs abest, ambulāre nōn possunt: **equī** igitur eōs **vehunt**.

Cum ad **portam** Latīnam veniunt, ab equīs **dēscendunt**, quia **viae** intrā mūrum **inīquae** sunt et angustae. Sex deinde hōrās Rōmae **manent**; duās hōrās per omnēs

viās eunt et antīqua aedificia spectant; multa enim ex templīs quadringentōs annōs aedificāta sunt. Deinde amīcum vīsunt et apud illum prandent. Post prandium puer spectācula spectāre vult; ad Circum Māximum igitur eunt, et spectācula trēs hōrās spectant. Tandem equōs prope portam Latīnam petunt et domum redeunt.

Pēnsum.

A. Scrībe īnfīnītīvum et imperātīvum: ambulō, prandeō, petō, vehō, dēscendō, absum, redeō, possum, volō, intrō, dormiō, respondeō.

B. Respondē:

(i) Quot annōs nātus es?
(ii) Quot hōrās Latīnam linguam, Gallicam linguam, mathēmaticam scientiam cottīdiē discis?
(iii) Quamdiū in campō lūdis?
(iv) Quot hōrās cottīdiē labōrās?
(v) Quot hōrās agricola labōrat?
(vi) In nostrā camerā quot passūs abest fenestra ā iānuā?
(vii) In tuā camerā quot passūs mēnsa ā fenestrā abest?
(viii) Quamdiū dormīs?
(ix) Quot annōs noster lūdus aedificātus est?

C. Tū es Titus; nārrā fābulam.

Ūna et Vīcēnsima Lēctiō. *Nōmina et Adiectīva.*

Carta Rōmae.

Rōma in septem clīvīs stat. Ibi Capitōlium vidētis, templum, ubi māgnus deus habitat. Ūnum nōs Deum habēmus; sed Rōmānī multōs deōs habent; multa igitur templa in māgnō oppidō sunt; dī enim suum quisque templum habent. Ante templum stant altae columnae; hae tēctum sustinent. Prope templum sunt multa aedificia, alia parva, alia māgna. Mūrus validus tōtum oppidum cingit et in hōc mūrō sunt multae portae.

Viae ex oppidō per portās dūcunt. Via Latīna per portam Latīnam in Latium dūcit; Via Sacra praeter forum ad Capitōlium, templum sacrum, dūcit. Forum in mediō oppidō est. Extrā oppidum viae lātae et aequae sunt; sed intrā mūrum angustae et inīquae. Campī lātī et apertī sunt. In Campō Mārtiō virī puerīque lūdunt et sē exercent. Hīc stat Circus Māximus; ibi Rōmānī māgna spectācula vident; ibi equī currunt et virī pūgnant. Haec spectācula Rōmānī lūdōs vocant.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: mē exerceō, dūcō, cingō.

B. Dēclīnā: vir sacer, hoc spectāculum, māgnus deus.

C. Respondē:

(i) Ubi Rōma stat?
(ii) Ubi dī habitant?
(iii) Quot deōs nōs habēmus?
(iv) Quae via ad Capitōlium dūcit?
(v) Quid columnae sustinent? Quālēs sunt?
(vi) Quid tēctum sustinet?
(vii) Quid oppidum cingit?
(viii) Quid mūrus cingit?
(ix) Quō dūcit via Latīna?
(x) Ubi virī sē exercent? Quis etiam ibi hoc facit?
(xi) Scrībe contrārium: *aequus, angustus, lūdō, exeō, abeō, campus, ager.*

D. Dēscrībe Rōmam.

Altera et Vīcēnsima Lēctiō.

Cāsus Genetīvus. Adverbium.

Camera.

Brūtus malus discipulus est; male pēnsum facit; lentē ad lūdum ambulat et saepe sērō venit, sed cito domum currit; nihil bene facere potest. In lūdō aut amīcē cum propinquō discipulō lūdit aut inimīcē pūgnat.

Hodiē Brūtus noster tranquillē in sellā Sextī dormit, cum subitō Sextus cameram intrat et ita exclāmat: 'Ecce, ō magister! Brūtus in meā sellā est.' Magister, 'Brūte!' inquit, 'removē tē Sextī ex sellā et tuam in sellam statim cōnsīde! Nunc recitā!' Brūtus lentē sē removet, sed, 'Nūllum librum,' inquit, 'hīc habeō.' Magister respondet: 'Mūrēnae ex librō recitā!' Mūrēnae igitur librum Brūtus capit et illīus ex librō recitāre incipit. Male autem recitat et magister ita exclāmat: 'Ō īgnāvē discipule, stultē semper omnia facis neque unquam studiōsē labōrās. Nōlī tam īgnāvus esse. Cēterī hūius lūdī discipulī suōs semper habent librōs, tū autem nunquam habēs tuum. Exemplum ab illīs cape! Tū semper illōrum in sellīs sedēs, illōrum librōs habēre vīs. Venī ad mē!' Ō miserum Brūtum! Dum timidē surgit et ad mēnsam magistrī lentē appropinquat, inimīcī ēius spectāculum laetī spectant. 'Properā!' inquit magister, et ferulam sūmit.

Pēnsum.

A. Adiectīva scrībe ad haec adverbia: male, lentē, inimīcē, tranquillē, studiōsē.

B. Adverbia scrībe ad haec adiectīva: bonus, amīcus, īgnāvus, miser.

C. Contrāria scrībe ad haec vocābula: bene, lentē, studiōsus, laetus, semper.

D. Respondē:

(i) Sī fluvius lentus est, quōmodo fluit?
(ii) Sī Ōceanus tranquillus est, quōmodo nauta Ōceanum trānsit?
(iii) Sī sērō ad lūdum venīs, quōmodo ambulās?
(iv) Quōmodo studiōsī puerī labōrant?
(v) Quōmodo cum amīcō lūdis?
(vi) Quōmodo contrā inimīcum pūgnās?
(vii) Quālis puer īgnāvē labōrat?

(viii) Quālis puer male omnia facit?
(ix) Quālēs agricolae agrōs bene colunt?
(x) Quōmodo lūdōs spectās?

E. Respondē:
(i) Cūius est haec camera?
(ii) Cūius est hic lūdus?
(iii) Quōrum est hic campus?
(iv) Quōrum patria est Britannia? Gallia? Germānia?
(v) Cūius librum habēs?
(vi) Cūius in sellā sedēs?
(vii) Cūius ex librō recitās?
(viii) Cūius stilō nunc scrībis?
(ix) Cūius sella ante tuam sellam est?
(x) Cūius sella post tuam est?
(xi) Cūius sella prope tuam est?
(xii) Quōrum sellās circum tuam vidēs?
(xiii) Cūius in sellā Brūtus dormit?
(xiv) Quōrum in sellīs cēterī puerī sedent?
(xv) Cūius ex librō Brūtus recitat?
(xvi) Quōrum ex librīs cēterī puerī recitant?
(xvii) Quōrum librōs bonī puerī habent?
(xviii) Cūius ad mēnsam Brūtus appropinquat?

F. Tū es Brūtus; nārrā fābulam dē tē.

Tertia et Vīcēnsima Lēctiō. *Cāsus Datīvus.*

Camera.

Puerī magistrō sententiās suās **dant**; magister sententiās corrigit et puerīs **reddit**; puerī eī **grātiās agunt**, omnēs praeter Brūtum; **nam** hic nūllās **notās** accipit et magistrō ita dīcit: 'Cūr nūllās notās mihi dās? Cūr nūllae notae mihi sunt?' Huīc magister ita respondet: 'Quia multa in sententiīs tuīs **vitia** sunt, tibi nūllās notās dō. Hīs autem puerīs multās dō, quia hōrum in sententiīs pauca vitia sunt. Tū, Mārce, sententiās tuās nōbīs recitā!' Brūtus, 'Ēheu,' sibi dīcit; Mārcus autem sententiās cēterīs puerīs recitat. Tum magister **pulchrum** librum ā mēnsā sūmit et puerīs mōnstrat et 'Vōbīs,

ō puerī,' inquit, 'semper praemia dō, sī bene pēnsa facitis. Hodiē Marcō praemium dō. Venī, Mārce, et hunc librum accipe!' Laetus Mārcus librum ā magistrō accipit et ita eī exclāmat: 'Māximās grātiās, ō magister, tibi agō.'

Pēnsum.

A. Dēclīnā: nota, magister, lūdus, deus, arma, praemium.

B. Dēclīnā: ego, tū, sē, hic, ille, is.

C. Respondē:

(i) Cuī sententiās dās?
(ii) Cuī sententiās tuās reddō?
(iii) Quibus magister sententiās puerōrum reddit?
(iv) Quibus sententiās vestrās reddō?
(v) Unde notās accipis?
(vi) Cuī grātiās agis?
(vii) Sī tibi stilum dō, cuī nunc stilus est?
(viii) Sī magister tibi praemium dat, quid dīcis?
(ix) Sī tē interrogō, cuī respondēs?
(x) Quālī puerō magister praemium dat?
(xi) Quibus magister librum mōnstrat?
(xii) Quibus magister notās dat?
(xiii) Cuī Brūtus, 'Eheu,' dīcit?
(xiv) Quibus Mārcus sententiās recitat?
(xv) Unde notās accipit?

D. Scrībe in omnibus persōnīs:
Ego magistrō librum meum mōnstrō.

Quārta et Vīcēnsima Lēctiō. *Cāsus Ablātīvus.* (*Quandō?*)

Diēs Puerī Britannī.

Puer Britannus prīmā hōrā ē lēctō surgit. Ex **cubiculō** ad prandium dēscendit. Tum domō ad lūdum it. Ibi trēs vel quattuor hōrās labōrat. **Prīmum** linguam Gallicam discit, deinde Anglicam, **postrēmō** scientiam mathēmaticam. Tandem ē lūdō exit et domum ad secundum prandium redit. Ūnam hōram domī manet. Post prandium iterum ad lūdum venit. Decimā hōrā

in campum exit. **Vesperī** domum ad **cēnam** redit. Post cēnam pēnsum facit. **Mox** dormīre vult. Prīmā igitur vigiliā sē in lēctum iacit. **Brevī** sē **somnō** dat, et trēs vigiliās dormit. Prīmā hōrā **gallus cantat**; cum gallus cantat, puer **nōn iam** dormit; sed ē lēctō statim surgit; saepe etiam ante hanc hōram surgit, nam in lēctō manēre nōnvult. Cottīdiē māne surgit, merīdiē prandet, vesperī cēnat, **noctū** dormit.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: nauta bonus, haec cēna, hoc vitium, ille puer.

B. Respondē:

(i) Quandō ē lēctō surgis?
(ii) Quandō tē in lēctum iacis?
(iii) Quandō tē somnō dās?
(iv) Quandō prandēs?
(v) Quandō cēnās?
(vi) Quandō linguam Latīnam discis?
(vii) Quid māne discis? (prīmō, deinde, postrēmō.)
(viii) Quis prīmā hōrā cantat?
(ix) Quandō tū cantās?
(x) Quid māne facis? Quid merīdiē? Quid noctū?

C. Quid cottīdiē facis?

Quīnta et Vīcēnsima Lēctiō.

Tempus Praeteritum Imperfectum.

Diēs Puerī Rōmānī.

Puer Rōmānus prīmā hōrā ē lēctō surg**ēbat**; deinde in oppidum ad lūdum **ībat**, ubi magister eum Latīnam linguam et Graecam linguam et scientiam mathēmaticam doc**ēbat**. Nōnnunquam puer īgnāvus erat; tum magister eum **feriēbat**, sed puer Rōmānus nunquam lacrim**ābat**. Post lūdum domum red**ībat**; merīdiē prand**ēbat**. Post prandium in Campō Mārtiō lūd**ēbat** aut in silvīs agrīsque err**ābat**. Silvae in summō clīvō erant, agrī in īmō.

Prīmā vigiliā post cēnam in lēctum sē iaciēbat somnōque sē dabat.

Nōnnunquam etiam diē fēstō puer Rōmānus ōtium agēbat neque in lūdum ībat. Tum tōtus populus ad templa deōrum conveniēbat, virī fēminaeque aderant, puerī puellaeque cantābant et deōs laudābant. In templō dīs sacrificābant et multās victimās caedēbant. Post sacrificium victimās sacrās edēbant.

Pēnsum.

A. Dēclīnā tempus imperfectum: laudō, doceō, lūdō, iaciō, feriō, eō, sum.

B. Complē sententiās: e.g. Hodiē labōrō; **herī labōrābam.**

(i) Hodiē ad lūdum venīmus.
(ii) Hodiē in hāc sellā sedēs.
(iii) Hodiē Mārcus prīmā hōrā surgit.
(iv) Hodiē domum redeō.
(v) Hodiē ille in lēctō manet.
(vi) Hodiernum pēnsum longum est.
(vii) Hodiē tempus praesēns dēclīnātis.
(viii) Quid facitis hodiē, Ō puerī?
(ix) Hodiē nōs in silvīs errāmus.
(x) Hodiē puerī Latīnam discunt.

C. Respondē:

(i) Quandō puerī Rōmānī ōtium agēbant?
(ii) Quō tōtus populus conveniēbat?
(iii) Quis aderat? Quis cantābat? Quem puellae laudābant?
(iv) Quot victimās Rōmānī caedēbant?
(v) Quis eās edēbat? Quandō?
(vi) Quem magister Rōmānus feriēbat?

Sexta et Vīcēnsima Lēctiō. *Tempus Futūrum.*

Ōtium Puerī Britannī.

Crās ōtium agēmus. Quō ībitis? Mārcus per agrōs silvāsque errābit, ibique multa vidēbit. In agrīs appā-

rēbunt taurī, vaccae, āgnī, asinī, equī. Taurōs autem vītābit Mārcus, quia saevī sunt, sed vaccae appropinquābunt diūque eum spectābunt. Āgnī eum fugient, quia timidī erunt, et in extrēmō agrō salient. Equī asinīque, sī Mārcus nōn clāmābit, appropinquābunt, quia cibum accipere volent. Sī cibum Mārcus habēbit, illīs dare poterit. Tum caelum obscūrum erit; Mārcus silvam intrāre nōlet. Sī autem silvam intrābit, quid ibi audiet? quid vidēbit? Hoc, sī manēre volētis, posthāc aliquandō vōbīs dīcam, cum alteram fābulam nārrābō. Mārcus tamen silvam nōn intrābit, sed ex agrīs exībit domumque redībit. Ibi cēnābit et in lēctum sē iaciet.

Pēnsum.

A. Dēclīnā tempus futūrum hōrum verbōrum: errō, habeō, dīcō, fugiō, saliō, redeō, possum, volō.

B. Complē sententiās XXV B., e. g. Hodiē labōrō: crās labōrābō.

C. Respondē:

(i) Quis mox in Ōceanō pūgnābit? (Britannī.)
(ii) Quid aliquandō vōbīs nārrābō?
(iii) Quid crās in lūdō discētis?
(iv) Quis vōs in lūdō crās docēbit?
(v) Quandō tē in lēctum iaciēs?
(vi) Quandō crās ad prandium dēscendēs?
(vii) Volēsne crās bene labōrāre?
(viii) Quid aperiēs, cum cameram intrāre volēs?
(ix) Quid sūmēs, cum scrībere volēs?
(x) Ubi errābis, cum ōtium agēs?
(xi) Quis trāns Ōceanum crās ībit? (multī nautae.)
(xii) Quid aliquandō audiēs?

Septima et Vīcēnsima Lēctiō.

Cum—praepositiō. Cum—coniūnctiō.

Pūgna.

Ōlim Rōmānus cum Hispānō Massiliam ībat: subitō ex silvā duo Gallī exsiliunt eōsque longīs hastīs oppū-

gnant. Rōmānus et Hispānus statim gladiōs stringunt et dēfendere sē incipiunt. Alter Gallōrum Hispānum in fluvium propinquum hastā trūdit; ille mortuus ad īmum fluvium cōnsīdit. Rōmānus, quia nunc sine sociō pūgnābat, circum sē spectābat: haud procul aberat parvus mūrus: hūc currit, sē post mūrum pōnit, Gallōs exspectat. Tum prīmus appropinquat, et, cum hastam trūdit, Rōmānus eam vītat et Gallum gladiō ferit. Statim ille mortuus cadit. Deinde alter Gallus, cum socium mortuum videt, tergum vertit. Rōmānus clāmat et sine morā super mūrum salit. Mox Gallum sinistrā capit et gladiō caedit. Ita sōlus ambōs Gallōs occīdere poterat.

Rōmānus Massiliam abit; Gallī autem alter cum alterō humī iacēbant et, sī nēmō illōs inveniet, semper ibi iacēbunt.

Pēnsum.

A. Dēclīnā in tempore praesentī: capiō, inveniō;
in tempore futūrō: exspectō, occīdō;
in tempore imperfectō: iaceō, absum.

B. Respondē:

(i) Quōcum ad lūdum venīs?
(ii) Quot cum amīcīs herī lūdēbās?
(iii) Quot cum magistrīs crās labōrābis?
(iv) Quot puerī tēcum in camerā adsunt?
(v) Cum pilā lūdis, quōcum lūdis?
(vi) Uter sine sociō erat, Gallus an Rōmānus?

C. Respondē per coniūnctiōnem **cum**: e. g. **Cum** cēnō, ad mēnsam sedeō.

(i) Quandō ad mēnsam sedēs?
(ii) Quandō ad tabulam stās? (scrībere.)
(iii) Quandō 'Salvē, magister!' dīcēs? (intrāre.)
(iv) Quandō silēbis? (respōnsum nescīre.)
(v) Quandō in silvīs errātis? (ōtium agere.)
(vi) Quandō dormīs? (in lēctō iacēre.)

D. Tū es Rōmānus; dēscrībe pūgnam.

Duodētrīgēnsima Lēctiō. *Tempus Perfectum.*

Vīta Puerī Britannī.

Gāius duodecim annōs nātus est. Nōndum longam vītam vīxit, sed tamen multa vīdit et audīvit; multa cōgitāvit et didicit; multa bene et pauca, ut spērō, male fēcit. Multōs annōs lūsit, paucōs annōs labōrāvit. Magistrī eum legere et scrībere docuērunt. Multōs iam librōs lēgit, multās fābulās audīvit; nunc igitur linguam Anglicam bene recitat et bene dīcit. Multa pēnsa scrīpsit et nōnnūllās epistulās; fābulamne etiam scrīpsit? Iam Gallicam linguam discere incēpit; ad Galliam igitur mox īre et pulchra oppida Gallōrum spectāre poterit. Saepe cum amīcīs cucurrit, pilam iēcit, per silvās errāvit; nunc igitur validus est et rōbustus.

Vōsne, O puerī, etiam haec fēcistis? Lēgistisne et scrīpsistis? Vīdistisne multa et audīvistis? Lūsistisne et labōrāvistis? 'Ita, nōs etiam haec omnia fēcimus; inter nōs cucurrimus, pilam iēcimus, per silvās errāvimus.' Tū, Quīnte, silēs; nōnne tū etiam haec fēcistī? An semper tantum labōrāvistī? 'Ego etiam, magister, haec et alia fēcī; in fluviō enim saepe ante prandium natāvī; aliīne puerī in fluviō natāvērunt? Ad lūdum etiam cottīdiē adfuī; multī autem puerī saepe āfuērunt.' Quīntus praemium accipiet.

Pēnsum.

A. Dēclīnā tempus perfectum: natō.

B. Scrībe prīmam persōnam, singulārem et plūrālem, temporis perfectī: labōrō, doceō, dīcō, audiō, eō, faciō, absum; et secundam persōnam: cōgitō, vīvō, videō, discō, currō, addō, adsum, trānseō.

C. Respondē:

(i) Īvistīne hōc annō ad theātrum?
(ii) Trānsiistīne unquam Ōceanum?
(iii) Quotiēs hōc annō in lūdō nōn adfuistī?

(iv) Quīntamne et trīgēnsimam lēctiōnem iam lēgistis?
(v) Quis agrum colere didicit? (agricolae.)
(vi) Quis pēnsum fēcit? (nōs omnēs.)
(vii) Validus nunc es; quid anteā fēcistī?
(viii) Sententia scrīpta est; quid fēcistī?
(ix) Iānua clausa est, fenestra aperta; quid fēcit aliquis?
(x) Pēnsum recitāre bene scīs; quid fēcistī?
(xi) Stilum teneō; quid fēcī?
(xii) Stilus nunc in mēnsā iacet; quid fēcī?
(xiii) Nunc humī iacet; quid fēcī?
(xiv) Pēnsa vestra corrēcta sunt; quid magister fēcit?

D. Quid iam in lūdō fēcistī? Quid extrā lūdum?

Ūndētrīgēnsima Lēctiō.

Tempus Praeteritum et Supīnum.

Britannia victa.

Iūlius Caesar ad Britanniam vēnit, quod Britannōs vincere et nostram patriam imperiō Rōmānō addere volēbat. Britannī ad ōram dēscendērunt Rōmānōs spectātum. Capillī eīs longī erant et flāvī, bracchia caerulea; neque multa vestīmenta gerēbant. Rōmānī autem contrā barbarōs inimīcē adīre incēpērunt; illī igitur domum fūgērunt, quia arma sēcum nōn habēbant. Iacula gladiōs clipeōs sūmpsērunt et ad pūgnam rediērunt. Diū patriam dēfendērunt, sed Caesar eōs tandem vīcit. Rēgulus igitur Britannōrum ad Rōmānōs pācem petītum vēnit. Tum Iūlius Caesar ad Ītaliam rediit et victōriam populō Rōmānō ita nārrāvit: 'Ad novam īnsulam Ōceanum trānsiī; Britannia vocātur. Bona est terra Britannōrum; hanc terram cēpī. Validī sunt barbarī et bene pūgnant; hōs vīcī. Spectāte, Ō Rōmānī, meōs captīvōs; hī erunt vestrī servī; vestra erit hōrum terra. Vēnī, vīdī, vīcī.'

Pēnsum.

A. Scrībe Partēs Prīncipālēs hōrum verbōrum: spectō, doceō, petō, aperiō.

B. Respondē:

(i) Quō cōnsiliō ad lēctum īs?
(ii) Quō cōnsiliō ad mēnsam īs?
(iii) Quō cōnsiliō in campum īs?
(iv) Cūr Iūlius ad Britanniam vēnit?
(v) Quō cōnsiliō Britannī ad ōram dēscendērunt?
(vi) Dēscrībe antīquōs Britannōs.
(vii) Cūr Britannī domum fūgērunt?
(viii) Quid sūmpsērunt?
(ix) Cūius erat victōria?
(x) Quō cōnsiliō rēgulus ad Iūlium īvit?
(xi) Cuī Iūlius victōriam nārrāvit?
(xii) Quibus verbīs victōriam nārrāvit?

C. Tū es antīquus Britannus: fābulam nārrā.

Iterātiō.

Respondē ad haec interrogāta in plūrālī etiam numerō, cum poteris.

i. Stāsne an sedēs? Recitāsne an scrībis? Silēsne annōn? Potesne Latīnam linguam intellegere? Equumne habēs? Inimīcōsne amās?

ii. Quid māne facis? tertiā hōrā? merīdiē? vesperī? prīmā vigiliā? noctū? linguā? dextrā? oculīs? pūgnīs? stilō? in lūdō? in campō? Quid agricola facit? discipulus? magister? nauta? mūrus? fluvius? columnae? gallus? Quid Caesar fēcit? rēgulus Britannōrum? agricola fīliusque? alter Gallōrum?

iii. Quid est Graecia? Sicilia? ante tē? in dextrā tuā? in camerā? circum īnsulam? circum cameram? in castrīs? circum castra? in vāgīnā? ante templum? in mediā aquā? in mēnsā?

Quae arma Rōmānī gerēbant? tēla? Quae membra habēmus? Quae animālia in agrīs sunt?

iv. Quis docet? discit? agrum colit? Ōceanum trānsit? in templō habitat? pūgnīs pūgnat? stilum nunc tenet? māne cantat? gladiō iaculōque hastāque pūgnābat?

clipeum gerēbat? in Campō Martiō lūdēbat? Massiliam cum Rōmānō ībat? in Galliā habitābat? fīlium Rōmam dūxit? Britanniam vīcit?

Quae īnsula prope Corsicam est? Quae terra est nostra patria? Quae terra Rōmāna provincia erat? Quae via in Latium dūcēbat?

v. Quālis (vel quāle? vel quantus? etc.) est Britannia? camera, crēta, Ītalia, iānua, pila, columnae templī, gladius, agricola, clipeus, fluvius, clīvus, campus, mūrus, Britannōrum capillī, liber, ager, puer, magister, templum, forum, oppidum, scūtum, iaculum, aedificium, tabernāculum, castra?

vi. Quot sunt litterae in vocābulō *tabernāculōrum*? lītterae in pāginā? lītterae in tōtō librō? discipulī in lūdō? discipulī in camerā nostrā? hōrae in diē? vigiliae in nocte? aedificia in oppidō? iānuae, fenestrae, sellae in camerā? viae in oppidō nostrō? tabernācula in castrīs?

vii. In vocābulō *Rōmānōrum* quota līttera est r, o, m, a, n, u? Quota est haec pāgina? haec lēctiō? hoc interrogātum?

viii. Quem magister docet? agricola Rōmam dūxit? alter Gallōrum in fluvium trūsit? Iūlius Caesar vīcit? Ante tē in camerā vidēs? post tē? in agrīs? in Ōceanō?

Quam īnsulam prope Ītaliam vidēs? Quās terrās circum Helvētiam?

ix. Quid nunc scrībis? tenēs? ante tē spectās? in mūrīs vidēs? circum īnsulam? circum cameram? in castrīs? circum castra? ante templum? in mediā aquā? in mēnsā? aperuistī? clausistī? didicistī? Mārcus in agrīs vīdit? equīs dedit?

x. Quālem (vel quāle? vel quantum? etc.) patriam habēs? cameram, linguam, sellam, tabellam, lūdum, campum, lēctum, stilum, librum, magistrum, nāsum, oculōs, capillōs, amīcōs? crētam magister habet? clipeum Gallus gerēbat? columnās ante templum vidēs? castra Romānī habēbant? bracchia Britannī habēbant?

x. Quot stilōs habēs? librōs, magistrōs, bracchia, linguās, oculōs, capillōs, nāsōs, amīcōs? tabulās camera tua habet? iānuās, fenestrās, pīctūrās, sellās, mēnsās, mūrōs? ad terrās īvistī? per viās ad lūdum īs? cum amīcīs? stilīs

scrībis? oculīs vidēs? in camerīs cottīdiē labōrās? respōnsa iam scrīpsistī?

xi. Cūius (vel quōrum?) est hic liber? haec camera? hic lūdus? templum? stilō nunc scrībis? in sellā sedēs? ante sellam sedēs? post sellam sedēs? sellae circum tē sunt? in campō lūdis? in camerā labōrās? patria est Britannia? prōvincia erat Gallia? in agrīs Rōmānī agricolae labōrābant? scūta oblonga erant? clipeī rotundī erant?

xii. Cuī (vel quibus?) pēnsum dās? magister pēnsum reddit? notās dat? grātiās agis? respondēs, sī amīcus tē salūtat? est hic liber? tuus stilus?

xiii. Quō Mārcus prīmā hōrā ībat? merīdiē redībat? tū vesperī redīs? noctū tē iacis? Via Sacra dūcēbat? Gallus Hispānum trūsit? Britannī fūgērunt? Caesar captīvōs dūxit? fluvius fluit?

xiv. Ubi sunt agrī? silvae, oppida, nautae, Germānī, arma, discipulī, Gallia, Helvētia, stilus, magister sedet, agricola labōrat? Mārcus errat? tū natāvistī? Britannī contrā Rōmānōs pūgnāvērunt? Rōmānus contrā duōs Gallōs sē dēfendēbat? Rōmānī puerī virīque lūdēbant?

xv. Unde post prandium exīs? ante prandium dēscendis? prīmā hōrā surgis? via dūcit? fluvius fluit? nautae domum redeunt? Iūlius Caesar rediit? Mārcus noctū rediit?

xvi. Quandō ē lēctō salīs? prandēs? cēnās? ad lūdum īs? Latīnam linguam discis? domum redīs? lūdis? pēnsum facis? tē somnō dās?

xvii. Quamdiū cottīdiē labōrās? Gallicam linguam cottīdiē discis? Latīnam didicistī? Britannī pūgnāvērunt? Quot annōs nātus es? Quam longē tū nunc ā iānuā abes? Iānua ā fenestrā abest? Rōma ā Britanniā abest? Quamdiū agricola fīliusque Rōmae mānsērunt?

xviii. Quō īnstrūmentō (vel tēlō vel membrō) in pāginā scrībis? librum legis? fābulam recitās? pūgnās? magister Rōmānus īgnāvum discipulum feriēbat? Gallī sē dēfendēbant? Rōmānus scūtum gerēbat? Rōmānus inimīcum oppūgnābat? Utrō pūgnō oppūgnās? utrō tē dēfendis?

xix. Quōcum ad lūdum hodiē vēnistī? in lūdō labōrās? in campō lūdis? domī labōrās? Rōmānus contrā Gallōs pūgnāvit? agricola Rōmam īvit?

xx. Quōmodo fluvius fluit? tū amīcō dīcis? labōrās? Orbilius exclāmāvit? Brūtus pēnsa faciēbat? domum currēbat et ad lūdum ambulābat? inimīcī Brūtī illud miserum spectāculum spectābant? vocātur locus ubi labōrās? locus ubi lūdis? locus ubi multa tabernācula sunt?

Trīgēnsima Lēctiō. *III Dēclīnātiō.*

Vīlla Cornēliāna.

Gāius Cornēlius Scīpiō in hāc vīllā habitat. **Uxor** Cornēlī est Semprōnia. Hī duōs fīliōs et duās fīliās habent. Duōbus fīliīs **nōmina** sunt Mārcus et Titus; hic duōs annōs nātus est, ille duodecim annōs. Fīliae ambae, Cornēliae, nōmen **patris** habent. Fīliī sunt **frātrēs** Cornēliārum; hae sunt **sorōrēs** Mārcī et Titī. Quattuor omnēs Scīpiōnem patrem, Semprōniam **mātrem** vocant.

Cornēlius saepe contrā barbarōs pūgnāvit; **mīles** fuit. Multōs mīlitēs in **bellō** dūcēbat; **dux** erat multōrum mīlitum. Hōc autem **tempore** Rōmānī **pācem** habent. Domī igitur Cornēlius cum **familiā** manet.

Mārcus etiam, cum nōn iam puer erit, in **capite galeam nitidam** mīles geret; Rōmānae **legiōnis** dux erit. Iam multum sē exercuit; validum igitur **corpus** habet; cum vir erit, bene pūgnāre poterit. Iam multum cucurrit; valida igitur **crūra** et validōs **pedēs** habet· mīlitēs Rōmānōs contrā barbarōs cito dūcet.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: Scīpiō, pater, mīles, nōmen.

B. Scrībe Nōminātīvum et Genetīvum Cāsūs Singulāris Numerī et Genus: uxor, frāter, soror, māter, dux, pāx, tempus, caput, legiō, corpus, crūs, pēs.

C. Respondē:

(i) Quot patrēs, frātrēs, sorōrēs, mātrēs habēs?
(ii) Quot nōmina habēs?
(iii) Quot nōmina Rōmānus habēbat? Scrībe exemplum.
(iv) Quot nōmina Rōmāna habēbat? Scrībe exemplum.
(v) Quis patriam dēfendit in terrā? et in Ōceanō?
(vi) Quot crūra, corpora, pedēs, capita habēs?
(vii) Ubi mīlitēs galeam gerunt?
(viii) Sī tū multum cucurristī, quālia crūra habēs?
(ix) Sī multum saluistī, quālēs pedēs habēs?
(x) Sī tē multum exercuistī, quāle corpus habēs?
(xi) Quandō mīlitēs nōn pūgnant?
(xii) Quot mīlitēs in ūnā legiōne erant?
(xiii) Contrā quōs Cornēlius mīlitēs Rōmānōs dūcēbat?
(xiv) Quōmodo vocātur fīlia Mārcī Tullī Cicerōnis?
(xv) Quōmodo pater Semprōniae vocātur?

D. Dēscrībe familiam Rōmānam.

Ūna et Trīgēnsima Lēctiō. *III Dēclīnātiō.*

Horātius pontem dēfendit.

Mārcus multa iam didicit dē **clārīs** antīquōrum Rōmānōrum **proeliīs**; hanc dē Horātiō fābulam **māximē amat.**

Etruscī, **gēns** valida, prope **montēs** Āppennīnōs habitābant; inter eōs et **urbem** Rōmam **flūmen** Tiberis fluēbat. Ōlim Porsenna, **rēx** hūius gentis, bellum contrā Rōmānōs gerēbat et ad **pontem** Sublicium māgnō **āgmine** advēnit. **Cīvēs** Rōmānī ad **arcem**, altam **partem** urbis, fūgērunt, sed pontem nōn **frēgērunt**. **Nisi quis** pontem franget, **hostēs** flūmen trānsīre portamque urbis oppūgnāre poterunt. Quis nunc ex arce dēscendere vult? Trēs ducēs hoc prō patriā facere volunt. Horātius Cocles, Spurius Lartius, Titus Herminius ad portam dēcurrērunt et contrā tōtum hostium āgmen pontem dēfendere incēpērunt. Hostēs eōs oppūgnant; illī diū **resistunt.**

Intereā aliī mīlitēs Rōmānī partem pontis frangunt. Pōns adhūc stābat, cum Horātius duōs sociōs intrā moenia dīmīsit. Sōlus in angustō ponte contrā tria mīlia hostium pūgnābat. Subitō clāmōrem audīvit; cīvēs enim, proeliī spectātōrēs, clāmāvērunt: 'Frāctus est pōns! Dēsilī nunc, Horātī!' Ille dē extrēmō ponte in medium flūmen dēsiluit et ad moenia natāvit. Ibi multī cīvēs ducem ex aquā fūnibus trāxērunt. Hōc modō Horātius urbem servāvit.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: gēns, urbs, cīvis, rēx, flūmen.

B. Scrībe Partēs Prīncipālēs: amō, frangō, dīmittō, trahō.

C. Scrībe Nōminātīvum et Genetīvum Cāsūs Singulāris Numerī et Genus: mōns, pōns, āgmen, arx, pars, hostis, moenia, spectātor, clāmor, fūnis.

D. Respondē:

(i) Quandō cīvis erat Rōmānus? Quandō mīles?
(ii) Quō omnēs cīvēs fūgērunt?
(iii) Quis ex arce dēscendere voluit?
(iv) Nārrā aliquid dē Porsennā.
(v) Quis nunc rēx est Britannōrum?
(vi) Quā viā hostēs flūmen trānsīre volēbant?
(vii) Quō Horātius sociōs suōs dīmīsit?
(viii) Quō īnstrūmentō cīvēs ducem ex aquā trāxērunt?
(ix) Cīvisne est pater tuus an mīles?
(x) Sī quis mīlitēs dūcit, quōmodo vocātur?
(xi) Sī quis populum regit, quōmodo vocātur?
(xii) Nārrā aliquid dē Etruscīs.
(xiii) Quae proelia Cornēlius Mārcō nārrābat?
(xiv) Sī mūrus validus urbem dēfendit, quōmodo vocātur?
(xv) Agricola et fīlius ēius lūdōs spectant; quōmodo vocantur?

E. Tū es Horātius; nārrā fābulam.

Altera et Trīgēnsima Lēctiō. *Prōnōmen Relātīvum.*

Nāvis.

Cornēlius Mārcum, quī nāvēs vidēre volēbat, Ōstium dūxit. In rīpā Tiberis stant, et mare caeruleum ante oculōs eōrum iacet. Eō tempore, quō adveniunt, nāvis ad ōstium Tiberis ā dextrā appropinquat. Rēmigēs in trānstrīs sedent, quia ventus adversus est, nāvemque lentē prōpellunt. Magister nāvis, quem in prōrā Mārcus videt, rēmigibus nautīsque iussa dat. Gubernātor, quī in puppī stat, gubernāculum vertit, et nāvis flūmen intrat. Nunc secundus est ventus; nautae igitur rēmōs pōnunt et vēla in mālum fūnibus ērigunt. Ventus vēla implet, et nāvis cito it. Tum Mārcus dē nāve, quae iam eum praeterībat, multa rogāre incēpit; cui pater omnia ita exposuit:

Prōra est ea pars nāvis quam ā fronte vidēs.
Rōstrum est ea pars prōrae quae mare secat.
Puppis est ea pars nāvis in quā stat gubernātor.
Gubernātor est is quem in puppī vidēmus.
Gubernāculum est id quō ille nāvem gubernat.
Rēmigēs sunt nautae quī in trānstrīs sedent.
Rēmī sunt ea quibus rēmigant.
Mālus est id cui fūnēs vēla coniungunt.
Vēla sunt ea quae ventus implet.
Ventus, quī vēla implet, secundus est.
Trānstra sunt sellae ubi rēmigēs sedent.
Massilia est oppidum unde nāvis exiit.
Ōstium est oppidum quō nāvis adit.

Deinde Mārcus, nōndum contentus, rogat: 'Cūius est nāvis?' 'Is, cūius nāvis est, magister vocātur, sed nōmen ēius īgnōrō.' Tum Mārcus, 'Ego,' inquit, 'magister nāvis erō.'

Pēnsum

A. Dēclīnā: is, ea, id; quī, quae, quod.

B. Respondē:

(i) Quōmodo vocātur is quī agrum colit? is quī discit? is quī pūgnat? id quō scrībis? id quod scrībis? id quō rēmex rēmigat? pōns quem Horātius dēfendēbat? ventus quī vēla nōn implet? pars urbis quō cīvēs fūgērunt? ea quae fīliōs habet?

(ii) Quōmodo vocantur membra quibus pūgnās? tēla quae Rōmānī iaciēbant? sellae ubi rēmigēs sedent? eī quī pontem cum Horātiō dēfendēbant? hostēs contrā quōs pūgnābant? eī quī dūcunt? eae quae frātrēs habent? ea quae agricola et fīlius ēius spectābant?

C. Explicā haec vocābula: nauta, mīles, agricolae, magister, fīlius, pater, puerī, pōns, arx, hostis, amīcus, castra, stilus, scūtum, gladius, galeae, crūra, sella, Massilia, fūnēs, prōra, rēmēx, magistrī nāvium, trānstrum, gubernātor, dux.

Tertia et Trīgēnsima Lēctiō.

Adiectīva III Dēclīnātiōnis.

Mārcus Rūra Cornēlī dēscrībit.

Pater meus est **dīves**; nam multōs et **fertilēs** agrōs et innumerās **pecudēs** habet. Herī ōtium agēbam et post prandium per **rūra** nostra errābam. Domō exībam, cum duae **columbae** dē tēctō **dēvolāvērunt** et in meīs **umerīs** cōnsēdērunt. Gallī et **gallīnae** circum pedēs meōs currēbant, quibus omnibus cibum dedī. **Rapācēs** sunt hae avēs; semper enim, dum hūc illūc lentē errant, rōstra in humum trūdunt et cibum petunt; sī alia cibum invenit, aliae statim occurrunt et dē cibō pūgnant. **Ūtilēs** autem sunt, quod ōva et **dulcem** carnem nōbīs dant. **Animālia** tamen quae nōn **fidēlia** sunt nōn amō; nisi enim **frūmentum** mēcum habeō, gallīnae

mē vītant neque, cum eās vocō, veniunt. Canem autem meum amō, quia fidēlis est et, cum per rūra nostra ambulō, semper mēcum venit; neque avēs occīdere vult, docile enim animal est, et gallīnās nōn occīdere saepe eum docuī. Nōvistīne canis meī nōmen? Rūfum eum vocō, quia rubram habet pellem.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: agricola dīves, ager fertilis, carō dulcis, avis rapāx.

B. Scrībe Partēs Prīncipālēs: prōpellō, ērigō, praetereō, secō, gubernō, coniungō, volō, occurrō.

C. Respondē:

(i) Quis hanc fābulam nārrat?
(ii) Quod animal docile est?
(iii) Quae carō dulcis est?
(iv) Quae avis rapāx est?
(v) Quōmodo gallīnae ūtilēs sunt?
(vi) Quae animālia nōn fidēlia sunt?
(vii) Quālēs sunt eī quī multōs agrōs habent?
(viii) Quālis est is quī amīcum semper amat?
(ix) Scrībe ea nōmina animālium quae nōvistī.
(x) Quae ex hīs animālibus docilia sunt?
(xi) Quae nōbīs ūtilia sunt?
(xii) Quōmodo equus nōbīs ūtilis est?
(xiii) Quid in camerā nostrā ūtile est?
(xiv) Quālēs agrī nōbīs ūtilēs sunt?
(xv) Explicā vocābula: dīves, docilis, fidēlis, avis, gallus.

D. Tū ipse, Ō discipule, per rūs errāvistī. Quae animālia vīdistī? Scrībe decem līneās.

Quārta et Trīgēnsima Lēctiō.

Adiectīva III Dēclīnātiōnis.

Rūra Cornēlī.

Deinde ego et canis per rūra īvimus, ubi servī nostrī labōrābant. Arātor agrum arābat; arātrum trahēbant

duo bovēs, quōrum colla iugō coniūncta erant. In proximō agrō pāstōrem vīdimus. Senex pauper est et plērumque sōlus sedet; itaque carmina et trīstia et dulcia sibi ovibusque cantat. Circum pāstōrem grēx ovium lentē errābat. Parvī āgnī procul ā mātribus saliēbant, quae trīstī vōce eōs vocābant; sed canis noster, animal sagāx, eōs ad mātrēs mox redēgit. Alium agrum intrābam, cum taurus ingēns in mē incurrere incēpit. Semper saevus est hic taurus; ego igitur cum cane, quī nōn audāx est, sī taurum prope sē videt, domum fūgī.

Ecce, trēs suēs in hortum errāvērunt! Māgnīs clāmōribus eās expellere volēbam, sed difficile est suēs docēre; hae saltem id quod imperābam facere nōlēbant. Baculum igitur sine morā sūmpsī et cum cane illa stulta animālia ex hortō expulī.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: senex, canis audāx, taurus ingēns, carmen trīste, trēs suēs, sagāx animal, bōs docilis.

B. Explicā per clausulam relātīvam: arātor, arātrum, iugum, pāstor, carmen, pauper, canis, bovēs, senex.

C. Respondē:

(i) Quae animālia sagācia sunt? Quae stulta?
(ii) Quandō nōn audācēs sumus?
(iii) Quis ovēs agēbat? Quis āgnōs redēgit?
(iv) Quāle carmen pāstor cantābat?
(v) Quālēs hominēs sunt pāstōrēs?
(vi) Quōmodo Mārcus suēs expellere volēbat? Quōmodo ovēs āgnōs vocābant?
(vii) Estne facile an difficile asinum docēre? equum docēre?
(viii) Quālia carmina tū amās?
(ix) Cūr pāstor semper cantat?
(x) Quā viā suēs īre semper volunt?
(xi) Cūr canis domum fūgit?
(xii) Quandō Mārcus timidus fuit? Quandō audāx?
(xiii) Estne hoc pēnsum facile?

Quīnta et Trīgēnsima Lēctiō. *IV Dēclīnātiō.*

Iter Hannibalis.

Gāius Cornēlius Scīpiō duōbus cum fīliīs sub porticū umbrōsā sedēbat. Mārcus eī dīxit: 'Nārrā nōbīs, pater, fābulam dē Hannibale illō quem avus noster vīcit.' 'Sānē! nōn tamen dē victōriā Scīpiōnis, sed dē māgnō itinere quod Hannibal trāns Alpēs fēcit, hodiē vōbīs nārrābō.

'Poenī māgnam et pulchram urbem in Āfricā incolēbant, quae Carthāgō vocābātur. Dux Poenōrum, Hannibal, vir fortis et prūdēns, Rōmam capere volēbat. Ingentī igitur cum exercitū in Ītaliam invādere cōnstituit. In hōc exercitū erant peditēs et equitēs et iaculātōrēs et elephantī. Ex portū Carthāginis ad Ītaliam tantum exercitum vehere nāvēs nōn poterant; parvae enim tum erant. Hannibal igitur exercitum per Hispāniam et Galliam dūcere cōnstituit. Nunquam anteā tantus exercitus tam longum iter fēcit! Hibērum flūmen montēsque Pȳrēnaeōs trānsiit. Per Galliam longum iter fēcit. Difficile erat Rhodanum trānsīre, quia gentēs Gallōrum īnfestae erant.'

Pēnsum.

A. Dēclīnā: porticus umbrōsa, exercitus māgnus, iter longum, vir fortis et prūdēns.

B. Explicā per clausulam relātīvam: porticus, portus, porta, pedes, eques, iaculātor, hostīlis, fortis.

C. Respondē:

(i) Ubi Poenī habitābant?
(ii) Quālis urbs erat Carthāgō?
(iii) Quālī in urbe habitās?
(iv) Quā in parte urbis nāvēs manent?
(v) Unde nāvēs in mare exeunt?
(vi) Cūr Hannibal mare trānsīre cōnstituit?
(vii) Quid Hannibal facere cōnstituit?
(viii) Ubi Cornēlius hanc fābulam nārrābat?

(ix) Cūr ibi sedēbat?
(x) Quōmodo vocātur pater patris?
(xi) Quōmodo vocātur is quī iacula cōnicit?
(xii) Quōmodo vocantur eī quī pedibus eunt?
(xiii) Quōmodo vocātur mīles quem equus vehit?
(xiv) Quāle animal est elephās? equus? asinus?

D. Dēscrībe (i) exercitum Hannibalis; (ii) iter Hannibalis; (iii) Hannibalem.

Sexta et Trīgēnsima Lēctiō. *Adverbia.*

Iter Hannibalis.

'Hannibal autem vir fortis et prūdēns erat; nam omnia **perīcula**, quae vītāre poterat, prūdenter vītābat; sī tamen vītāre nōn poterat, **ipse** prīmus in perīculum fortiter ībat. Tandem ad īmās Alpēs pervēnit; ibi Gallus **quīdam** eī **saltum** mōnstravit. Via per montēs inīqua erat et angusta; **ascēnsus** igitur erat difficilis.'

Mārcus patrem rogāvit: 'Potestne elephās, tam **grave** animal, montem **ascendere**?'

'Ita, mī fīlī; elephās docilis est et sagāciter facit id quod magister imperat; hī saltem elephantī cum cēterō exercitū nōn sine māgnō labōre ascendērunt.'

Tum Mārcus 'Nōn **celeriter**,' inquit, 'mī pater, elephantī currere possunt.' Cornēlius autem '**Immō vērō** celeriter,' inquit, 'in campō et per silvās elephantī currunt; sed in montibus lentē et prūdenter eunt. Hannibal etiam in Alpibus prūdenter ībat, quia gentēs barbarōrum quae ibi habitābant saepe eum audācter oppūgnābant. Aliquando ingentia **saxa** dē summīs montibus in exercitum **dēvolvere** incēpērunt; sagittāriī statim **arcūs** sūmpsērunt et **sagittās** in hostēs mīsērunt; sed hī post māgna saxa **latēbant** neque iterum sē audācter **ostendēbant**.'

Pēnsum.

A. Ex hīs adiectīvīs fac adverbia: fortis, prūdēns, sagāx, audāx, celer, ūtilis, rapāx, bonus, malus, lentus, rapidus.

B. Dēclīnā: animal grave, gēns hostīlis, ascēnsus difficilis, summus mōns.

C. Scrībe Partēs Prīncipālēs: habitō, invādō, cōnstituō, vehō, dūcō, trānseō, faciō, vītō, ascendō, imperō, currō, oppūgnō, dēvolvō, incipiō, mittō, sūmō, ostendō.

D. Explicā per clausulam relātīvam: sagitta, arcus, sagittārius, sagittāriī, saltus, magister elephantī, prūdēns, fortis.

E. Quōmodo barbarī, quī in Alpibus habitābant, exercitum Hannibalis oppūgnābant? Scrībe decem līneās.

Septima et Trīgēnsima Lēctiō. *V Dēclīnātiō.*

Iter Hannibalis.

'**Rem** difficilem Poenī faciēbant. Via enim nōn inīqua **modo**, sed **rupta** etiam in multīs locīs erat. Ibi neque elephantī neque equī neque asinī, nē hominēs **quidem gradum** facere poterant.'

Mārcus 'Dē asinīs,' inquit, 'nihil, Ō mī pater, dīxistī Erantne asinī etiam in exercitū Hannibalis?' 'Erant in exercitū asinī, quī **onera** vehēbant. Nēmō, ut dīxī, gradum facere poterat, ubi via rupta erat. Tum peditēs et iaculātōrēs **genibus manibusque** saxa ascendērunt, deinde animālia trāns locum difficilem fūnibus trāxērunt. Itaque tōtum āgmen iterum in **tūtam** viam pervēnit. Hīc **nivēs** altae in monte iacēbant, illīc **glaciēs**; neque exercitus **prōcēdere** poterat, **antequam** peditēs viam per nivēs glaciemque fēcērunt.

'Novem diēs Poenī Alpēs ascendēbant; decimō diē ad summum saltum pervēnērunt. Tum Hannibal omnēs

mīlitēs convocāvit et tālia eīs dīxit: "Prīmus nōs exercitus Alpēs trānsiimus; dēscēnsus adhūc nōs manet; haec rēs certē facilis erit nōbīs quī tam novam et difficilem rem fēcimus; quīnque diēbus in campīs Ītaliae stābimus; fortēs este! dēscendite!"'

Pēnsum.

A. Dēclīnā: rēs difficilis, ūnus diēs, duo diēs, genū, dextra manus, nix alta.

B. Explicā per clausulam relātīvam: gradus, onus, genua, manūs, pedēs, nix, rēs difficilis, fūnis.

C. Respondē:

(i) Quot diēs Hannibal ascendēbat? Quot diēbus ad summās Alpēs pervēnit? Quotō diē illūc pervēnit?
(ii) Quibus membrīs Poenī saxa ascendēbant?
(iii) Ubi nē hominēs quidem gradum faciēbant?
(iv) Cūr sagittāriī nōn multōs hostēs occīdere potuērunt?
(v) Unde barbarī saxa dēvolvēbant? Quālia saxa?
(vi) Quālēs erant barbarī?
(vii) Postquam dux mīlitēs convocāvit, quālēs sunt mīlitēs?
(viii) Quid dux mīlitibus imperāvit?
ix) Quae tēla sagittāriī mittunt?
(x) Quō īnstrūmentō mīlitēs animālia trāxērunt? Trāns quālem locum?
(xi) Quid in monte iacēbat? Quāle erat?
(xii) Quot pedēs alta nix aliquandō in Britanniā iacet?
(xiii) Vīdistīne unquam in flūmine glaciem?
(xiv) Quālia onera asinī vehēbant?
(xv) Quae erant haec onera?

D. Quōmodo exercitus Hannibalis viam ruptam trānsiit? Scrībe decem līneās.

Duodēquadrāgēnsima Lēctiō. *Comparātiō.*

Iter Hannibalis.

Longa erat fābula, et proximō diē Cornēlius dē itinere Hannibalis nārrāre perrēxit:

'Dēscēnsus Alpium difficilior erat quam ascēnsus. In

campō peditēs lentiōrēs sunt quam equitēs; sed dum dē summīs montibus exercitus Hannibalis dēscendit, peditēs celeriōrēs fuērunt quam equitēs; elephantī ex omnibus lentissimī erant. Interdum elephantī in locīs superiōribus diū manēbant neque in loca īnferiōra dēscendere volēbant; via enim quae ūltrā Alpēs inīqua et perīculōsa erat, citrā inīquior erat et perīculōsior; neque elephantī, animālia ex omnibus gravissima, facile ascendere aut dēscendere poterant. Tandem mīlitēs campōs fertilēs Ītaliae īnfrā vīdērunt; statim fortiōrēs illīs fuērunt animī; longissimī enim itineris aderat fīnis.

'Decem diēbus ad summās Alpēs pervēnērunt; pauciōribus diēbus ad campum dēscendērunt. Postquam autem Rōmānī dē hāc tam difficilī rē audīvērunt, clāmāre incēpērunt: "Quis nunc nōs servāre potest? Nōnne Hannibal fortior et prūdentior est quam omnēs nostrī imperātōrēs? Difficillimam hanc rem fēcit; multō facilius erit nostram urbem capere." At post iter multō minor erat exercitus Poenōrum, quī anteā māior erat quam Rōmānus.'

Tum Mārcus 'Cēpitne,' inquit, 'Hannibal Rōmam?' Cuī pater respondit: 'Num hoc rogās, mī fīlī, tū quī Rōmānus puer es?'

Pēnsum.

A. Scrībe gradūs comparātīvum et superlātīvum hōrum adiectīvōrum: lentus, inīquus, perīculōsus, fortis, paucī, prūdēns, facilis, difficilis, celer, longus, gravis.

B. Comparā:

(i) Hannibalem cum aliīs imperātōribus. (prūdēns.)
(ii) ascēnsum Alpium cum dēscēnsu. (difficilis.)
(iii) elephantum cum equō. (docilis.)
(iv) canem cum asinō. (sagāx.)
(v) montēs cum campīs. (altus.)
(vi) hoc pēnsum cum trīgēnsimō. (facilis.)

(vii) iter Hannibalis cum itinere quod tū cottīdiē facis. (longus.)
(viii) peditēs cum equitibus. (lentus.)
(ix) equitēs cum peditibus. (celer.)
(x) canēs cum bōbus. (fidēlis.)
(xi) mīlitem cum cīve. (fortis.)
(xii) Brūtum cum Orbiliō. (stultus.)
(xiii) discipulum quī nunquam labōrat cum eō quī nōnnunquam labōrat. (īgnāvus.)
(xiv) puerum quī corpus exercuit cum eō quī hoc nōn fēcit. (validus.)
(xv) quārtam decimam sententiam cum quārtā. (longus.)
(xvi) gallīnās cum columbīs. (rapāx.)
(xvii) Cornēlium cum pāstōre. (dīves.)
(xviii) carmen pāstōris cum carmine gallī. (dulcis.)
(xix) Padum cum Istrō. (rapidus.)
(xx) Ītaliam cum Siciliā. (māgnus.)

C. Comparā trēs rēs per gradum superlātīvum: e. g. Ex hīs animālibus, elephantō equō cane, elephās gravissimus est.

(i) taurum et ovem et canem. (saevus.)
(ii) Alpēs et Pȳrēnaeōs et Āppennīnōs. (altus.)
(iii) Istrum et Tiberim et Padum. (longus.)
(iv) Britanniam et Corsicam et Siciliam. (māgnus.)
(v) ducem et pāstōrem et arātōrem. (fortis.)
(vi) equum et vaccam et suem. (fidēlis.)
(vii) canem et asinum et taurum. (sagāx.)
(viii) stilum et sellam et iānuam. (parvus.)
(ix) Brūtum et Marcum et Tertium. (stultus.)
(x) hanc partem pēnsī et prīmam et alteram. (facilis.)
(xi) hanc sententiam et prīmam et tertiam. (brevis.)

Ūndēquadrāgēnsima Lēctiō. *Comparātiō Adverbiōrum.*

Vīlla Cornēliāna.

Mārcus vīlicum multa cottīdiē dē animālibus rogābat. Aliquandō, dum per agrōs ambulant, ‘Dīc mihi, Dāve,’ inquit, ‘nōnne canis omnium animālium celerrimum est?’

Respondit Dāvus, ‘Minimē, cervī enim celerius quam canēs currunt, et celerrimē omnium animālium.’

Tum Mārcus 'Nōnne vēnātōribus,' inquit, 'canēs sunt quī cervōs in silvīs agunt? Cūr igitur hōs canēs adhibent, sī lentius quam cervī currunt?'

'Sunt ista, ut dīcis,' respondit vīlicus; 'sunt canēs vēnāticī quī vel cervōs celeritāte superant.'

Deinde Mārcus 'Sed certē', inquit, 'sī nōn celerrimum, at ūtilissimum omnium animālium canis est.'

Tum vīlicus: 'Quid dīcis, Mārce? Mihi fortasse aliīsque pāstōribus canis est ūtilissimus; sed mīlitī equus, agricolae bōs, viātōrī mūlus, aliīs alia animālia ūtiliōra sunt quam canis.'

Mārcus, quī dē hōc respōnsō diū cōgitābat, tandem 'Sed ego,' inquit, 'canem māximē amō, et libentius cum cane meō lūdō quam cum omnibus aliīs animālibus.'

Pēnsum.

A. Scrībe gradūs comparātīvum et superlātīvum hōrum adverbiōrum: celeriter, lentē, rapidē, prūdenter, fortiter, bene, male, facile.

B. Adiectīva in adverbia verte et finge novās sententiās:

(i) In campō eques celerior est quam pedes. (īre.)
(ii) In montibus pedite lentior est eques.
(iii) Canis sagācior est sue. (āgnōs redigere.)
(iv) Equus fidēlior est asinō. (magistrum amāre.)
(v) Caesar prūdentior erat Hannibale. (exercitum dūcere.)
(vi) Hannibal Caesare audācior erat. (bellum gerere.)
(vii) Mīles fortior est quam pāstor. (pūgnāre.)
(viii) Padus flūmen celerius est quam Rhodanus. (fluere.)
(ix) Quīntus melior scrīptor est quam Titus. (scrībere.)
(x) Hic servus illō pēior arātor est. (arāre.)

C. Respondē:

(i) Uter celerius currit, tū an amīcus tuus?
(ii) Ex nostrīs discipulīs, quis celerrimē currit? quis optimē cantat? quis facillimē pēnsum Latīnum facit? quis saepissimē abest?
(iii) Quae īnstrūmenta tibi in lūdō ūtilia sunt?

(iv) Quod īnstrūmentum magistrō ūtilissimum est?
(v) Utram linguam libentius discis, Gallicam an Latīnam?
(vi) Quāle animal est cervus?
(vii) Quōs cervus fugit?
(viii) Curritne cervus celerius quam canēs vēnāticī?
(ix) Quibus hominibus canēs ūtilēs sunt?

D. Aliī discipulī verba Mārcī, aliī verba Dāvī ēdiscent. **Posteā** in lūdō sermōnem eōrum iterābunt.

Quadrāgēnsima Lēctiō. *Gerundium.*

Servī.

Hostēs, quōs Rōmānī cēpērunt, servī **fīunt.** Aliī autem barbarī erant et **rudēs**; agrōs igitur colēbant aut pecudēs **pāscēbant.** Aliī servī erant Graecī, quī Rōmānīs saepe **doctiōrēs** semperque **callidiōrēs** erant. Hī librōs **dominī cūrābant,** litterās scrībēbant, **pecūniam numerābant. Domina** etiam habēbat **servās** multās, quae **vestēs** faciēbant aut **īnfantem** cūrābant. **Stolam** enim **tunicamque,** quas Semprōnia gerit, et **togam,** quam Cornēlius gerit, domī fēcērunt servae. Prope Cornēlium stat **nūntius**; mox Rōmam ībit lītterāsque amīco dominī **reddet.**

Servī, quī in vīllā nātī sunt ibique semper vīxērunt, **vernae** vocantur. Mārcus parvum vernam habet, qui cum eō ad lūdum it et librōs **portat.** Quō cōnsiliō Mārcus ipse ad lūdum it? Discendī causā ad lūdum it.

Servī, quī validiōrēs erant quam cēterī, saepe in Circō Māximō pūgnābant. Hi **gladiātōrēs** vocābantur, quia saepius gladiō pūgnābant. **Plērīque** gladiātōrum capillōs flāvōs oculōsque caeruleōs habēbant; Germānī enim erant aut Britannī. Nunquam patriam suam iterum vidēbunt; nam servus effugere nōn potest. Multī ex eīs in Circō Māximō pūgnāre **mālunt** quam in vīllā Rōmānā **servīre.** Fortasse eōs aliī gladiātōrēs occīdent! Hic

servitūtis erit fīnis. Hoc spectāculum videndī causā Rōmānī conveniēbant. Saepe ante decem mīlia spectātōrum gladiātōrēs alius alium occīdēbant.

Pēnsum.

A. (i) Quō cōnsiliō ego ad tabulam eō?
(ii) Quō cōnsiliō tū ad mēnsam cōnsīdis?
(iii) Quō cōnsiliō puerī in campum eunt?
(iv) Quō cōnsiliō nōs ad flūmen īmus?
(v) Quō cōnsiliō tū stilum sūmis?
(vi) Quō cōnsiliō Iūlius Caesar mare trānsiit?
(vii) Quō cōnsiliō agricola et fīlius ēius Rōmam īvērunt?
(viii) Quō cōnsiliō discipulī ad lūdum veniunt?
(ix) Quō cōnsiliō tū in lēctum tē iacis?
(x) Quō cōnsiliō Rōmānus post mūrum sē posuit?
(xi) Quō cōnsiliō Hannibal Alpēs trānsiit?
(xii) Quō cōnsiliō Horātius pontem dēfendit?
(xiii) Quō cōnsiliō Rōmānī ad Circum conveniēbant?
(xiv) Quō cōnsiliō verna cum Mārcō ad lūdum ībat?
(xv) Quō cōnsiliō nūntius Rōmam currēbat?
(xvi) Quō cōnsiliō vōs domum ā lūdō redītis?
(xvii) Quō cōnsiliō cīvēs fūnem dē portā dēmīsērunt?
(xviii) Quō cōnsiliō Horātius in Tiberim dēsiluit?
(xix) Sī magister imperat: 'Aperī omnēs fenestrās!' quō cōnsiliō ē sellā venīs?
(xx) Quō cōnsiliō magister ad lūdum venit?

B. Scrībe Nōminātīvum et Genetīvum Cāsūs Singulāris Numerī et Genus: hostis, ager, pecus, pecūnia, nūntius, circus, servitūs, fīnis, spectātor, gladiātor.

C. Explicā per clausulam relātīvam: gladiātor, verna, spectātor, toga, stola, servus, serva, dominus.

D. Scrībe Partēs Prīncipālēs et Gerundium: eō, discō, conveniō, videō, gerō, pāscō, capiō, colō, cūrō, scrībō, referō, vīvō, effugiō, possum, mālō, serviō, occīdō.

Ūna et Quadrāgēnsima Lēctiō. *Cāsus Ablātīvus.*

Vīlla Cornēliāna.

Contentī sumus **fundō** nostrō. Vaccae enim lāc et cāseum, gallīnae anatēsque ōva, **pecora** carnem **prae-**

bent. Flūmen etiam, quod praeter vīllam fluit, piscibus plēnum est. Haec omnia nūllō labōre habēmus, sed sī frūmentum et vīnum cupimus, multō labōre opus est. Nostrī autem servī fundum dīligenter cūrant; nam dominum amant, quia et iūstus et benīgnus est; sī enim servus laude dīgnus est, et laudem et praemium accipit, sed is quī indīgnus est sine morā poenās dat.

Apud Claudium contrā miserī sunt servī; dominus enim ipse Rōmae habitat, vīlicus autem est omnium hominum iniūstissimus. Servōs enim cottīdiē ferit, neque unquam satis cibī eīs dat. Eī quī ēsuriunt nōn bene labōrāre possunt. Nōlunt igitur servī Claudiānī dīligenter labōrāre, et quam plūrimī ē fundō aufugiunt. Eīs enim quī labōrant opus est cibō; eīs etiam quī nōn labōrant cibō opus est vīvendī causā.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: lāc, pecus, carō, laus.

B. Respondē:

(i) Quālī pēnsō contentus est magister?
(ii) Quālibus servīs contentus est dominus?
(iii) Quibus rēbus mēnsa magistrī plēna est?
(iv) Quibus rēbus nostra camera plēna est?
(v) Quālibus hominibus nostra camera plēna est?
(vi) Quibus rēbus malum pēnsum est plēnum?
(vii) Quibus animālibus ager est plēnus? Quibus avibus fundus? Quibus animālibus mare?
(viii) Quā rē dīgnus es, sī pēnsum bene fēcistī?
(ix) Quā rē dīgnus es, sī pēnsum male fēcistī?
(x) Quā rē tibi opus est scrībendī causā?
(xi) Quibus membrīs tibi opus est videndī causā? Et natandī causā? Et ambulandī causā?
(xii) Cūr servī apud Cornēlium libenter manēbant?
(xiii) Cūr apud Claudium nōn manēbant?
(xiv) Quis nostrōrum rēgum iūstus erat et benīgnus?
(xv) Quis nostrōrum rēgum poenās dedit, quia iniūstus erat?

C. 'Pāstor ōlim erat quī culpā dīgnus erat, quia ovēs nōn dīligenter cūrābat.' Hoc est initium novae fābulae. Complē fābulam.

Altera et Quadrāgēnsima Lēctiō. *Verbum Impersōnāle.*

Vīlla Cornēliāna.

Mārcus ōlim aegrōtābat neque ad lūdum īre volēbat. Ōtium igitur agere eī licuit. Patrem autem rēs agendī causā Tībur īre oportuit et Mārcus illum rogāvit: 'Licetne mihi, Ō pater, tēcum venīre? Volō enim rūrī errāre et vōcēs avium audīre, dum tū negōtium in urbe agis.'

Cornēlius respondit: 'Sī vīs, mī fīlī, mēcum venīre, tibi licet. Properā tamen, quia ego iam parātus sum.'

Mox extrā rūra Cornēliāna erant et, dum eunt, multa inter sē disserēbant. Subitō leporem in viā occīsum vīdērunt, et Mārcus 'Ō miserum leporem!' inquit. 'Cūr hominēs volunt animālia interficere?' Pater 'Hoc nesciō,' inquit, 'barbarī tamen multō plūs quam nōs hoc faciunt, quia animālia ferōciōra apud eos sunt; nōnnūlla etiam hominēs vorant. In Āfricā, ut incolae dīcunt, leō, quī rēx animālium vocātur, noctū vīcum saepissimē intrat et īnfantem aufert vel, sī māgnopere ēsurit, hominēs etiam vī petit. In Indīs tigris habitat, quī neque hominēs neque ferās, nisi elephantum, timet. Apud nōs etiam aper in mediīs silvīs latet; nōn carnem ille hūmānām, ut leō tigrisque, vorat, sed ferōcissimus tamen est vēnātōribusque diū resistit.'

Pēnsum.

A. Dēclīnā: leō, tigris, aper, lepus.

B. Scrībe in omnibus persōnīs: mihi licet exīre; mē oportet bene labōrāre.

C. Respondē:

(i) Quid vōbīs facere nōn licet, dum Latīnam linguam discitis?
(ii) Quid vōs facere oportet, dum Latīnam linguam discitis?
(iii) Ubi tē labōrāre oportet? Ubi lūdere licet?
(iv) Quandō ad lūdum venīre tibi nōn licēbit?
(v) Curritne lepus ex omnibus animālibus celerrimē?
(vi) Quod animal ferōcissimum est?
(vii) Quālem carnem tigris libenter vorat?
(viii) Quandō leō hominēs oppūgnat?
(ix) Quamdiū aper vēnātōribus resistit?
(x) Unde leō saepe īnfantem aufert?
(xi) Quandō Cornēlius et Mārcus multa inter sē disserēbant?
(xii) Quō cōnsiliō Cornēlius Tībur iit?
(xiii) Ubi erat Tībur oppidum?
(xiv) Quam procul Rōmā aberat?
(xv) Quae ferae in Britanniā habitant?

Tertia et Quadrāgēnsima Lēctiō. *Futūrum Perfectum.*

Vīlla Cornēliāna.

Prīmō vēre agricola sēmina in agrō serēbat, cum Mārcus forte appropinquāvit. Hic agricolam rogāvit: 'Cūr nihil in agrīs crēscit?' Ille dē respōnsō diū cōgitāvit, tum ita respondit: 'Cum pluerit et sōl fulserit, tum plantae tenerae ex humō surgent; aestāte aristae flāvēscent; autumnō segetem metēmus. Cum segetem messuerimus, tum frūmentum in horreum ferēmus. Dum autem sermōnem tēcum cōnferō, cessō; neque ante pluviam tōtum agrum sēverō.'

Deinde Mārcus 'Num pluet?' inquit. 'Quōmodo hoc scīs?'

Tum agricola 'Multa', inquit, 'sunt sīgna pluviae. Nōnne hirundinēs vidēs? Suprā fluvium multae volitant; māgnī igitur erunt imbrēs. Nōnne cornīcem ibi

vidēs? Ecce, cornīx sōla in rīpā fluviī hūc illūc ambulat et plēnā vōce pluviam vocat. Poēta noster haec cecinit:

> Tum cornīx plēnā pluviam vocat improba vōce
> Et sōla in siccā sēcum spatiātur harēnā.

Haec et alia sunt sīgna pluviae. Ecce autem certissimum sīgnum; dēnsa enim nūbēs inter nōs et sōlem pendet. Nisi tū quam celerrimē domum cucurreris, imber tē intercipiet; equidem, nisi nunc properābō, nōn ante imbrem agrum sēverō.'

Pēnsum.

A. Dēclīnā in futūrō perfectō: fulgeō, volitō, currō.

B. Scrībe prīmam persōnam singulāris numerī futurī perfectī temporis; serō, appropinquō, crēscō, surgō, metō, ferō, videō, canō, pendeō, intercipiō.

C. Respondē per futūrum perfectum:

(i) Quandō in campum ībis?
e. g. Cum pēnsum meum fēcerō, in campum ībō.
(ii) Quandō ad lūdum redībis?
(iii) Quandō seges crēscet?
(iv) Quandō pluet?
(v) Quandō magister contentus erit?
(vi) Quī discipulus praemium accipiet?
(vii) Quandō dormītum ībis?
(viii) Quandō Mārcus vir erit?
(ix) Quandō agricolae frūmentum in horreum ferent?
(x) Quandō plantae tenerae ex humō surgent?
(xi) Quandō tū contentus eris?
(xii) Quandō vōs Latīnam linguam bene dīcere poteritis?

D. Respondē:

(i) Quōcum Mārcus sermōnem cōnferēbat?
(ii) Quibus rēbus caelum saepe est plēnum?
(iii) Quō tempore annī hirundinēs in Britanniam redeunt?
(iv) Quae sunt quattuor tempora annī?
(v) Quō tempore annī agricolae serunt? metunt? nōn labōrant?

(vi) Quō tempore annī plūrimum pluit?
(vii) Quōmodo vocātur ille poēta quī dē cornīce cecinit?
(viii) Dum ad lūdum cum amīcō venīs, quid per tōtum iter facis?
(ix) Dē quibus rēbus sermōnem cum hōc amīcō cōnfers?
(x) Quandō sōl nōn fulget?
(xi) Hieme quid humī iacet?
(xii) Quō hirundinēs autumnō volant?
(xiii) Cūr agricolae cornīcēs nōn amant?
(xiv) Scrībe ea nōmina avium quae scīs.
(xv) Quid nunc in caelō vidēs?

Quārta et Quadrāgēnsima Lēctiō.

Praeteritum Perfectum Tempus.

Dē Rōmulō et Remō.

Nūtrīx cum īnfante Titō et sorōribus ēius sub **vetere** **quercū** sedēbat, dum Mārcus in silvā lūdit. Ad eōs pāstor senex appropinquat, quem omnēs ūnā vōce rogant: 'Nārrā nōbīs, sōdēs, ō senex, fābulam dē **hērōibus**'. Itaque nārrāre incēpit:

'Rōmulus et Remus, ut ferunt, Mārtis deī et Rheae Silviae **geminī** erant fīliī. Rēx autem **crūdēlis**, nōmine Amūlius, Albae Longae tum **rēgnābat**. Frātrem enim suum **rēgnō** iam expulerat omnēsque frātris fīliōs interfēcerat; Rheae tamen Silviae **pepercerat**. Tandem hōs etiam īnfantēs **necāre** cōnstituit; itaque in Tiberim fluvium servōs cōnicere eōs **iussit**. Forte Tiberis super rīpās aquam **effūderat** et agrōs, quī circā erant, **inundāverat**; neque adīre servī ad iūstum fluviī **cursum** poterant. Itaque in **stāgnō** parvum **alveum**, in quō īnfantēs iacēbant, **relīquērunt**. **Postquam** aqua iterum cōnsēdit, **lupa sitiēns**, quae ad **flūmen** dēscendēbat, **vāgītūs** puerōrum audiit. Multōs diēs eōs **nūtrīvit**. Tandem pāstor **rēgiī** gregis geminōs invēnit et uxōrī suae dedit. Illa eōs **ēducāvit**. Ita cōnservātī puerī Rōmam urbem posteā **condidērunt**.

Pēnsum.

A. Dēclīnā in tempore praeteritō perfectō: expellō, inundō.

B. Scrībe Partēs Prīncipālēs omnium in hāc fābulā verbōrum.

C. Scrībe omnia nōmina in cāsibus Nōminātīvō et Genetīvō Singulāris Numerī cum genere.

D. Respondē:

(i) Quot quercūs in hortō tuō sunt?
(ii) Quōcum Titus sedēbat?
(iii) Ubi Amūlius rēgnābat?
(iv) Quem rēgnō expulerat?
(v) Quem interfēcerat?
(vi) Cūr Rhea Silvia adhūc vīvēbat?
(vii) Quōmodo Numitor geminōs necāre cōnstituit?
(viii) Quid servōs facere iussit?
(ix) Cūr servī id facere nōn poterant?
(x) Quandō flūmen super rīpās aquam effundit?
(xi) Sī flūmen aquam super rīpās effūdit, quālēs sunt agrī?
(xii) Quandō lupa ad Tiberim dēscendit?
(xiii) Quis īnfantēs servāvit?
(xiv) Ubi est Rōma?
(xv) Quis Rōmam condidit.

E. Explicā per clausulam relātīvam: rēx, nūtrīx, pāstor, quercus, senex, īnfāns, Tiberis, alveus, stāgnum, rīpae.

Quīnta et Quadrāgēnsima Lectiō.

Vōx Passīva: Tempus Praesēns.

Castra Rōmāna.

Diē quōdam Mārcus ē cubīlī modo surrēxerat, cum castra ūltrā fluvium in clīvō posita cōnspexit. Tum 'Quae sunt ista tabernācula?' inquit; 'herī ibi nōn erant antequam dormītum īvī.' Pater illī respondit: 'Castra sunt, ubi exercitus Rōmānus noctū dormit, cum bellum gerit.' Dum prandium igitur edunt, tālibus verbīs pater castra explicat.

'Cum āgmen Rōmānum iter facit, vesperī tribūnus lēctīs cum mīlitibus castra pōnendī causā praemittitur. Locus ab eō capitur, prope quem aqua cibusque facile invenīrī possunt. Statim tribūnus vēxillum ērigit et quadrātum spatium sīgnat, quod sociī mūnīre incipiunt. Fossa circum tōta castra foditur, ex quā terra vāllum struendī causā cumulātur. In vāllō quattuor portae fīunt. Intereā ab aliīs mīlitibus media castra in variās partēs viīs dīviduntur et in propriīs locīs tabernācula pōnuntur. Sēparātim praetōrium, quod imperātōris tabernāculum est, exstruitur ; quae omnia summā celeritāte fīunt, quod haud procul āgmen fessum appropinquat.'

Pēnsum.

A. Scrībe tempus praesēns vōcis passīvae hōrum verbōrum: cumulō, doceō, pōnō, fodiō, inveniō, faciō.

B. Respondē ad interrogātum: Quid fit? (Verte in passīvam vōcem.)

(i) Sententiam scrībō.
(ii) Cibum edimus.
(iii) Castra pōnimus.
(iv) Tribūnum praemittō.
(v) Duōs tribūnōs praemittō.
(vi) Terram cumulāmus.
(vii) In vāllō quattuor portās facimus.
(viii) Castra in variās partēs dīvidimus.
(ix) Praetōrium exstruimus.
(x) Fossam fodimus.
(xi) Vōs doceō.
(xii) Mē audītis.
(xiii) Nōs docēs.
(xiv) Tē audīmus.
(xv) Tē interrogō.

C. Respondē ad interrogātum: Ā quō hoc fit?

(i) Agricola agrum colit.
(ii) Gubernātor nāvem gubernat
(iii) Ego vōs doceō.

(iv) Pāstor ovēs pāscit.
(v) Magister nōs interrogat.
(vi) Puer iānuam aperit.
(vii) Mīlitēs imperātor dūcit.
(viii) Caesar Britannōs vincit.
(ix) Horātius pontem dēfendit.
(x) Sagittārius sagittam mittit.
(xi) Sociī castra mūniunt.
(xii) Mīles aquam invenīre potest.
(xiii) Mārcus castra cōnspicit.
(xiv) Mea verba audīs.
(xv) Nōs docēs et interrogās.

Sexta et Quadrāgēnsima Lēctiō.

Vōx Passīva: Praesēns et Futūrum.

Castra Rōmāna.

Āgmen castra intrat. Impedīmenta et spolia in spatiō, quod inter vāllum et tabernācula est, cumulantur; ibi etiam equī pecudēsque pāscuntur. Deinde legiōnēs ad suam quaeque castrōrum partem dīmittuntur. Cēna statim parātur; arma et tēla repōnuntur; mīlitēs edunt et bibunt. Post cēnam vigilēs per tōtum vāllum dispōnuntur; itaque omne perīculum āvertitur; nam hostēs, sī ad vāllum silentiō adībunt aut explōrandī aut expūgnandī causā, ā vigilibus cernentur; hī extemplō exclāmābunt et sīgnum tubā dabunt; omnēs statim ex somnō excitābuntur hostēs repellendī causā. Dum vigilēs castra cūstōdiunt, legiōnēs tūtae sēcūraeque dormiunt.

Pēnsum.

A. Dēclīnā in tempore futūrō passīvae vōcis: excitō, cernō.

B. Dēclīnā in tempore praesentī passīvae vōcis: parō, āvertō, cūstōdiō.

C. Respondē ad interrogātum: Ā quō hoc fit?

(i) Mīlitēs impedīmenta in castrīs cumulant.
(ii) Pāstōrēs pecudēs pāscunt.
(iii) Equōs nostrōs pāscimus.
(iv) Hunc equum pāscimus.
(v) Servī cēnam parant.
(vi) Vigilēs castra cūstōdiunt.
(vii) Vigilēs urbem cūstōdiunt.
(viii) Hannibal Hibērum flūmen trānsit.
(ix) Hannibal Alpēs trānsit.
(x) Peditēs elephantōs trāns viam ruptam trahunt.
(xi) Vigil hostēs cernit.
(xii) Vigilēs hostem cernunt.
(xiii) Fessī arma repōnimus.
(xiv) Magister vōs interrogat.
(xv) Magister vōs audit.

D. Respondē:

(i) Quō īnstrūmentō sīgnum in castrīs datur?
(ii) Quō īnstrūmentō pēnsum scrībitur?
(iii) Quō īnstrūmentō Horātius ē flūmine trahitur?
(iv) Quō īnstrūmentō malus discipulus ferītur?
(v) Quō tēlō hostis occīditur?
(vi) Quibus tēlīs hostēs occīdī possunt?
(vii) Quō vehiculō nautae vehuntur?
(viii) Quō vehiculō agricola vehitur?
(ix) Quō vehiculō eques vehitur?
(x) Quō instrūmentō sententia in tabulā scrībitur?

Septima et Quadrāgēnsima Lēctiō.

Vōx Passīva: Tempus Futūrum.

Castra Rōmāna.

Māne tribūnī centuriōnēsque extrā praetōrium convocantur. Illīs dux iussa dat et tālia verba dīcit.

'Castra extemplō movēbuntur; arma ab omnibus parābuntur; aciēs īnstruētur. Nam hostēs iam in cōnspectū sunt; nostrum impetum, ut crēdō, nōn manēbunt, sed ipsī priōrēs nōs oppūgnābunt. Sī prīmō ab

hostibus repellēminī, nōlīte **dēspērāre.** Sī enim fortēs eritis et quam ācerrimē pūgnābitis, hostēs tandem ā vōbīs **fugābuntur.** Eōs quī sē **dēdere** nōlent occīdite; sed captīvōs nōlīte occīdere. Hī enim Rōmam auferentur, ubi **vendentur**; et pecūnia vōbīs mīlitibusque **distribuētur.** Haec iussa, Ō tribūnī centuriōnēsque, extemplō mīlitibus **nūntiāte.**'

PĒNSUM.

A. Dēclīnā in tempore futūrō vōcis passīvae: parō, moveō, īnstruō, capiō, cūstōdiō, faciō.

B. Verte in tempus futūrum sententiās quae in pēnsō B XLV sunt; deinde in vōcem passīvam verte.

C. Verte in tempus futūrum sententiās quae in pēnsō C XLV sunt; deinde respondē ad interrogātum: Ā quō hoc fīet?

D. Explicā per clausulam relātīvam in quā verbum passīvae vōcis adhibētur: pāstor, dux, magister, stilus, pāgina, gladius, sagitta, pōns, cibus, vigilēs e. g. Pāstor est is ā quō ovēs pāscuntur.

DUODĒQUĪNQUĀGĒNSIMA LĒCTI

Vōx Passīva: Tempora Praeterita.

Obsidiō Alesiae.

Mārcus dē proeliīs et victōriīs multa libenter audiēbat. **Praecipuē** Caesaris dē victōriīs audīre semper volēbat. Pater enim ēius, Caesare duce, contrā Gallōs Britannōsque pūgnāverat; multa igitur dē bellō Gallicō Mārcō nārrāre poterat.

Cornēlius ōlim Mārcō 'Hodiē,' inquit, 'dē **obsidiōne** Alesiae tibi nārrābō.'

Cuī Mārcus 'Sorōribusne etiam,' inquit, 'hanc **historiam** audīre licet?' Postquam sorōrēs convocātae sunt, pater **līberīs** haec nārrāre incēpit:

'Plēraeque Gallōrum gentēs ā Iūliō Caesare victae

erant; ūna tamen gēns, cuī nōmen erat Arvernī, diū Rōmānīs resistēbat. Rēgulus eōrum erat Vercingetorīx, dux summā fortitūdine, quī multīs proeliīs dēfessus tandem intrā moenia Alesiae fugātus est. Dum autem Caesar contrā oppidum omnibus cum cōpiīs tendit, moenia ā Gallīs fīrmābantur. Mox Caesar advēnit et, quia nōn statim oppidum capī poterat, cōnsilia ad obsidendum vertit.'

Pēnsum.

A. Scrībe tempora imperfectum et perfectum vōcis passīvae hōrum verbōrum: fugō, obsideō, vertō, faciō, audiō.

B. Verte in vōcem passīvam:

(i) Vercingetorīx Arvernōs dūcēbat.
(ii) Iūlius Caesar hanc gentem vīcit.
(iii) Rōmānī Gallōs fugāvērunt.
(iv) Arvernī moenia Alesiae firmābant.
(v) Caesar Alesiam obsidēbat.
(vi) Rōmānī Alesiam obsēdērunt.
(vii) Ego vōs herī docēbam.
(viii) Obsessī arma parāvērunt.
(ix) Vōs sententiās octō scrīpsistis.
(x) Caesar castra prope Alesiam posuit.
(xi) Quam fābulam herī vōbīs nārrābam?
(xii) Quot fābulās iam vōbīs nārrāvī?
(xiii) Dux tribūnōs centuriōnēsque convocāvit.
(xiv) Dux eīs iussa dedit.
(xv) Tribūnī iussa mīlitibus nūntiāvērunt.

C. Quōmodo Rōmānī castra pōnēbant? Scrībe decem līneās.

Ūndēquīnquāgēnsima Lēctiō.

Vōx Passīva: Tempora Praeterita.

Obsidiō Alesiae.

Caesar, ut dīxī, Alesiam oppidum obsidēre cōnstituit. Castra extrā moenia ā Rōmānīs posita sunt, et

oppidum exteriōre mūrō cīnctum est; unde Caesar cottīdiē moenia oppūgnābat, sed neque impetū capere neque tormentīs dēicere poterat. Itaque obsidiō multōs mēnsēs prōdūcēbātur: tandem autem obsessī cibō aquāque carēbant. Omnēs in forum convocātī sunt. Tum quīdam ē prīncipibus Gallōrum hoc cōnsilium dedit: 'Nūllum cibum habēmus; cibō nōbīs opus est vīvendī causā; īnfantēs nostrōs edere nōs oportet.' Vercingetorīx tamen Gallōs hoc facere vetuit. Tum prīncipēs sē Rōmānīs dēdere cōnstituērunt. Eī, quī vī et armīs capī nōn poterant, famē tandem victī sunt. Vercingetorīx Gallīque Caesarī sē dēdidērunt. Quōrum multī quidem extemplō occīsī sunt; cēterī—fortissimus quisque, validissimus quisque, pulcherrimus quisque—cum ipsō Vercingetorige in vincula coniectī sunt. Proximō annō Rōmam addūctī sunt. Ibi Caesar eōs in triumphō dūxit.

Pēnsum.

A. Dēclīnā in temporibus imperfectō et perfectō passīvae vōcis: pōnō, cōniciō.

B. Verte in vōcem passīvam:

(i) Rōmānī castra extrā moenia posuērunt.
(ii) Rōmānī oppidum exteriōre mūrō cīnxērunt.
(iii) Caesar Alesiam capere nōn poterat.
(iv) Rōmānī moenia dēicere nōn poterant.
(v) Obsidiōnem multōs mēnsēs Gallī prōdūcēbant.
(vi) Multōs Gallōs occīdimus.
(vii) Cēterōs in vincula coniēcimus.
(viii) Hōs tandem Rōmam attulimus.
(ix) Caesar Vercingetorigem per triumphum dūxit.
(x) Dux hominēs fēmināsque in forum convocāvit.

C. Tū es mīles Rōmānus; Rōmānī, Caesare duce, Alesiam obsident. Dēscrībe obsidiōnem Alesiae.

Quīnquāgēnsima Lēctiō.

Participium Perfectum Passīvum.

Triumphus Rōmānus.

Caesar victor cum Gallīs captīvīs Rōmam redierat, et Cornēlius in āgmine erat. Īnstitūtō igitur diē Semprōnia tōtam familiam spectandī causā sēcum dūxit et inter cīvēs fēstīs vestibus indūtōs prope forum sē posuit. In templīs apertīs ārae flōribus ōrnātae fūmābant. Iam Titus 'Equōs,' inquit, 'nōn videō. Ubi est pater, ubi Caesar?' Cuī māter respondet: 'Caesar ōrātiōnem apud mīlitēs extrā urbem convocātōs habet; virtūtem eōrum laudat; spolia distribuit; mox autem currum ascendet et per portam Triumphālem urbem intrābit. Tum et Caesarem et patrem tuum vidēbis.' Subitō ūniversī clāmōrem tollunt; triumphus enim adest. Praeībat senātus quī Caesarem salūtandī causā convēnerat; deinde plaustra erant optimīs spoliīs onerāta; tum albī taurī aurātīs cornibus ā sacerdōtibus ad sacrificium dūcēbantur; post eōs ībat inter aliōs captīvōs Vercingetorīx, vir superbus, vinculīs vinctus; tum Caesar ipse, togā pīctā vestītus et laurō corōnātus, currū splendidō, quem quattuor equī trahēbant, vehēbātur; dēnique, novissimum āgmen, equitēs peditēsque clāmitābant 'Iō, triumphe!' et māgnā vōce cantābant; neque Cornēlius vōcem īnfantis, quī 'Pater!' iterābat, parvam inter illōs clāmōrēs audīre poterat. Postquam autem Caesar ad Capitōlium ascendit, taurī in ārīs caesī et spolia Iovī dēdicāta sunt.

Pēnsum.

A. Scrībe participium praeteritum passīvum hōrum verbōrum et cum participiīs singula nōmina:
e. g. pingō—tabula pīcta.
Īnstituō, ornō, vestiō, convocō, onerō, vinciō, corōnō,

caedō, dēdicō, obsideō, fugō, fodiō, mūniō, vincō, capiō, distribuō, dō, condō, aperiō, claudō, parō, scrībō, effundō, serō.

B. Respondē:

(i) Quālia erant templa, plaustra, cornua taurōrum?
(ii) Quāles erant cīvēs, ārae, taurī?
(iii) Quālis erat Vercingetorīx, Caesar, toga Caesaris, currus Caesaris, vōx Titī, vōx mīlitum?
(iv) Quō diē Semprōnia Rōmam īvit?
(v) Quem sēcum dūcēbat?
(vi) Quō cōnsiliō Rōmam īvit?
(vii) Ubi familia Cornēliāna sē posuit?
(viii) Apud quōs Caesar ōrātiōnem habuit?
(ix) Quid Caesar laudābat? Quid distribuēbat?
(x) Quō cōnsiliō senātus convēnerat?
(xi) Quō taurī dūcēbantur?
(xii) Ā quibus taurī dūcēbantur?
(xiii) Quōmodo Caesar ībat?
(xiv) Ubi taurī caesī sunt?
(xv) Quōmodo pater deōrum vocātur?

C. Coniunge in ūnam sententiam:

(i) { Caesar corōnātus est;
Caesar currum ascendit.

e. g. Caesar corōnātus currum ascendit.

(ii) { Gallī vinctī sunt;
Gallī per triumphum dūctī sunt.

(iii) { Gallī obsessī sunt;
Gallī oppidum dēfendērunt.

(iv) { Vercingetorīx victus est;
Vercingetorīx sē Rōmānīs dēdit.

(v) { Mīlitēs convocātī sunt;
Mīlitēs Caesaris ōrātiōnem audīvērunt.

(vi) { Caesar mīlitēs convocāvit;
Mīlitēs Caesaris ōrātiōnem audīvērunt.

(vii) { Rōmānī Gallōs obsēdērunt;
Gallī oppidum dēfendērunt.

(viii) { Etruscī Horātium vulnerāvērunt;
Horātius in flūmen dēsiluit.

(ix) { Dux tribūnum praemīsit;
Tribūnus castra posuit.

(x) { Caesar Gallōs cēpit;
Caesar Gallōs Rōmam dūxit.

(xi) { Caesar Alesiam diū obsēdit;
Caesar Alesiam tandem cēpit.

(xii) { Pōns frāctus est;
Horātius pontem trānsīre nōn potuit.

(xiii) { Caesar mīlitēs convocāvit;
Caesar mīlitēs laudāvit.

(xiv) { Caesar Gallōs cēpit;
Caesar cum Gallīs Rōmam rediit.

(xv) { Caesar mīlitēs convocāvit;
Caesar apud mīlitēs ōrātiōnem habuit.

(xvi) { Sacerdōtēs ārās ornāvērunt;
Ārae fūmābant.

(xvii) { Centuriō vulnerātus est;
Dux centuriōnī praemium dedit.

(xviii) { Magister iānuam aperuit;
Magister cameram intrāvit.

(xix) { Puer pēnsum fēcit;
Puer dormītum īvit.

(xx) { Mīlitēs arma reposuērunt;
Mīlitēs cēnāvērunt.

(xxi) { Spolia Iovī dēdicāta sunt;
Caesar domum rediit.

D. Tū es Mārcus; dēscrībe triumphum, dum Rōmānī tē praetereunt.

Ūna et Quīnquāgēnsima Lēctiō.

Cornēlius līitterās scrībit.

Gāius Quīntō s.d.p.

Dōnum, quod nūntius tuus in manum mihi trādidit, māgnō cum gaudiō accipiō. Ego et uxor mea multās tibi grātiās agimus. Quid Rōmae nūper accidit? Quam opīniōnem senātōrēs dē Iūliō Caesare habent? haec cōgnōscere volēbās; tamen Brundisiī omnia tantā celeritāte annūntiantur. Quid novī tibi nārrāre possum?

Iūlius in diēs potentior fit et ā plēbe magis amātur; paucīs enim ante diēbus, dum Albā ad Urbem iter facit, multī exclāmābant 'Salvē, Rēx!'; at Iūlius, homō prūdentissimus, 'Caesar sum,' inquit, 'nōn rēx.' Equidem tamen dē salūte ēius metuō. Dum enim fēstō diē senātōriī iuvenēs cursum inter sē Viā Sacrā currunt et ipse ex gradibus templī spectat, māgna multitūdō convēnit; subitō autem Mārcus Antōnius diadēma illī offert; ubīque silentium fit; nēmō plaudit praeter paucōs Iūlī amīcōs. Ille diadēma rēiēcit; tum omnēs plausērunt. Antōnius autem, nōndum contentus, ter diadēma obtulit. Gaudeō quod tam stultē ēgit; in invidiam enim Caesarem addūxit. Iam plērīque senātōrēs eum ōdērunt, neque Cassius saltem, ut putō, hanc facultātem agendī praetermittet. Caesar tamen sēcūrus mihi esse vidētur. Hās lītterās Brundisium per eundem nūntium mittō. Kalendīs Mārtiīs dedī.

Valē.

Pēnsum.

A. Scrībe tertiam persōnam singulārem et plūrālem temporum futūrī et imperfectī et perfectī passīvae vōcis verbōrum: trādō, annūntiō, offerō, rēiciō, addūcō, mittō, accipiō.

B. Dēclīnā: īdem nūntius, haec facultās, fēstus diēs.

C. Scrībe hanc epistulam: Mārcus Antōnius ad amīcum suum Claudium, quī Athēnīs est, lītterās dē diadēmate Caesarī oblātō mittit.

D. Scrībe participium perfectum passīvum in locō clausulae temporālis:

(i) Postquam Mārcus Antōnius diadēma obtulit, Caesar id rēiēcit.

(ii) Postquam Caesar salūtātus est, respondit: 'Nōn rēx sum.'

(iii) Postquam tuum nūntium accēpī, eum dīmīsī.

(iv) Postquam tuās lītterās accēpī, Rōmam īvī.

(v) Postquam Alesiam cēpit, Caesar domum rediit.

Altera et Quīnquāgēnsima Lēctiō.

Alterae dē eādem rē litterae.

Gāius Quīntō s. d. p.

Līterās tuās accēpī, prō quibus multās tibi grātiās agō. Illud, quod metuēbam, accidit. Iūlius enim herī interfectus est. Quī autem sunt coniūrātī? Hōs bene nōvistī; Mārcus Brūtus, quī homo honestus est, sed rempublicam magis quam ipsum Caesarem amābat, et Cassius, quī Caesarī invidēbat, auctōrēs erant coniūrātiōnis. Neque prōdigia dēerant; Kalendīs enim Mārtiīs vātēs quīdam Caesarem in viā admonuit: 'Cavē Īdūs Mārtiās!' Sēcūrus tamen Iūlius Īdibus Mārtiīs ad senātum ībat, cum vātem inter multitūdinem cōnspexit, cuī 'Heus vātēs', inquit, 'vēnērunt Īdūs Mārtiae.' Tum ille: 'Vēnērunt quidem, Ō Caesar, sed nōndum praeteriērunt.' Deinde, dum cīvēs ab illō rēs variās petunt, Artemidōrus eī libellum dedit, in quō coniūrātōrum nōmina indicāverat; coniūrātī autem nūllam facultātem Caesarī dabant legendī; undique enim eum premēbant. Tum, sīgnō datō, gladiōs stringunt—ipse etiam aderam, sed obstupefactus nihil facere poteram—et innumerīs īctibus Caesarem trānsfīgunt. Ille sōlus parumper silentiō resistēbat; sed simul ac Brūtum, amīcum suum, inter inimīcōs cernit, 'Et tū, Brūte!' exclāmat et ante statuam ipsam Pompēī mortuus cadit.

Miseret me illīus tam illūstris imperātōris, sed gaudeō quod Brūtus rempublicam servāvit. Et tū, quid dē hīs rēbus putās?

Valē.

a. d. XVII Kal. Apr. dedī.

Pēnsum.

A. Dēclīnā: rēspublica, idem nōmen, vātēs quīdam,

B. Scrībe omnia nōmina in hāc lēctiōne cum genere et cāsū genetīvō ambōrum numerōrum.

C. Scrībe Partēs Prīncipālēs omnium in hāc lēctiōne verbōrum.

D. Scrībe hanc epistulam: **Brūtus vesperī Īdibus Mārtiīs lītterās dē coniūrātiōne ad amīcum scrībit.**

E. Respondē:

(i) Cūr Gāius Quīntō grātiās agēbat?
(ii) Cūr Caesar ā Brūtō occīsus est?
(iii) Cūr ā Cassiō occīsus est?
(iv) Quō cōnsiliō hī **coniūrāvērunt**?
(v) Quō diē vātēs Caesārem admonuit?
(vi) Quō diē Caesar occīsus est?
(vii) Quō cōnsiliō Artemidōrus libellum scrīpserat?
(viii) Quid spectātōrēs faciēbant?
(ix) Cūius Cornēlium miserēbat?
(x) Quālium hominum tē miseret?
(xi) Ā quibus Caesar premēbātur?
(xii) Quā dē rē vātēs Caesarem admonuerat?

F. Verte in vōcem passīvam:

(i) Dōnum, quod nūntius trādidit, accēpī.
(ii) Caesar diadēma rēiēcit.
(iii) Antōnius Caesarem in invidiam addūxit.
(iv) Ego hās lītterās ad tē mittō.
(v) Caesar libellum Artemidōrī nōn lēgit.

Tertia et Quīnquāgēnsima Lēctiō.

Verbum Dēpōnēns.

Profectiō Mārcī.

Mārcus prīmā lūce ē cubīlī surgit neque cibum ante est quam domō ad lūdum **proficīscitur.** Sī in itinere **morārī** vult animālia persequendī causā, senex servus, quī eum **comitātur**, ita **loquitur**: 'Properā, Mārce, tē **precor**, nisi sērō in lūdum vīs **ingredī.**' Illōs **sequitur** verna parvus, quī librōs tabellāsque portat. Sī forte librī aut stilī **oblītus** erit, magister īrātus Mārcō ita **loquētur**: 'Cūr stilum domī relīquistī? Quō īnstrūmentō ad scrībendum **ūtī** vīs? Nōnne **verbera meritus es**?' Puer silentiō poenās dabit; at verna etiam, ut **opīnor**, post lūdum verbera **patiētur**, quae plēnē meritus est.

Pēnsum.

A. Scrībe Partēs Prīncipālēs verbōrum dēpōnentium.

B. Quem cāsum haec verba regunt? careō, ūtor, miseret, oblīvīscor, invideō, licet, oportet.

C. Respondē:

(i) Unde Mārcus prīmā hōrā cottīdiē proficīscēbātur?
(ii) Quandō ē cubīlī surgēbat?
(iii) Quōmodo differunt inter sē servus et verna?
(iv) Quō cōnsiliō verna Mārcum sequēbātur?
(v) Quō cōnsiliō servus senex eum comitābātur?
(vi) Quō cōnsiliō Mārcus saepe morābātur?
(vii) Cūr magister īrātus est?
(viii) Uter puerōrum verbera meritus erat?
(ix) Uter verbera passus est?
(x) Quō īnstrūmentō ūteris ad scrībendum in tabulā?
(xi) Quibus membrīs ūtimur ad natandum? Quibus ad saliendum?
(xii) Quis tē ad lūdum comitātur?
(xiii) Sī sērō in lūdum vēneris, quid magister loquētur?
(xiv) Quandō tū ē cubīlī surgis?
(xv) Quandō domō proficīsceris?

D. Dēclīnā tempora praesēns et futūrum: moror, mereor, patior.

Quārta et Quīnquāgēnsima Lēctiō.

Verbum Dēpōnēns.

Reditus Mārcī.

Sextā hōrā, dum Mārcus domum redit, **parentēs** eum in hortō exspectābant. Postquam mātrem **amplexus** est et patrem salūtāvit, illa eum rogāvit: 'Cūr toga tibi tam **sordida** est?' Cuī Mārcus 'Quia in līmō,' inquit, '**dē-lāpsus** sum, dum avem persequor'. Tum māter īrāta, quod puer tam imprūdēns erat, 'Nōn cēnābis igitur,' inquit, 'statim ad cubiculum abī.' Mārcus autem lacrimāre incēpit—nam **persuādēre lacrimīs** mātrī sciēbat—et '**Īgnōsce** mihi', inquit, 'māter mea; nōlī īrāscī; iam satis poenārum dedī; paene enim ante mortuus sum,

quam servus mē ē fossā extrāxit'. Tum māter fīlium iterum amplexa alteram togam induendī causā dīmīsit. Ille mox ad cēnam regreditur rīdēns et pūrā togā vestītus.

Pēnsum.

A. Dēclīnā tempus perfectum verbōrum: amplector, morior.

B. Scrībe Partēs Prīncipālēs: redeō, amplector, dēlābor, persequor, īrāscor, persuādeō, sciō, īgnōscō, nōlō, morior, extrahō, induō, regredior, rīdeō.

C. Respondē:

(i) Quōmodo vocantur pater et māter?
(ii) Utrum parentem Mārcus amplectēbātur?
(iii) Utrum parentem salūtāvit?
(iv) Cūr sordida facta erat toga Mārcī?
(v) Quandō toga Mārcī sordida facta est?
(vi) Cūr Semprōnia īrāta est?
(vii) Quōmodo Mārcus mātrī suae persuādēbat?
(viii) Cūr mātrēs fīliīs suīs semper īgnōscunt?
(ix) Oportetne mātrēs fīliīs suīs semper īgnōscere?
(x) Quō cōnsiliō Semprōnia Mārcum dīmīsit?
(xi) Meritusne est Mārcus cēnam?
(xii) Ā quō Mārcus ē fossā extrāctus est?
(xiii) Quālis Mārcus ad cubiculum dīmissus est?
(xiv) Quālis Mārcus ad cēnam regressus est?

D. Coniunge in ūnam sententiam:

(i) { Mārcus mātrem amplexus est;
Mārcus patrem salūtāvit.

(ii) { Mārcus regressus est;
Mārcus cēnāvit.

(iii) { Puer in līmō dēlāpsus est;
Puer sordidam togam habet.

(iv) { Mārcus domō profectus est;
Mārcus in itinere morābātur.

(v) { Discipulī stilōrum oblītī sunt;
Discipulī poenās dabunt.

(vi) { Caesar in senātum ingressus est;
Coniūrātī Caesarem occīdērunt.

(vii) Mārcus ā lūdō regressus est;
Māter Mārcum amplectitur.

(viii) Mārcus verbera meritus est;
Māter Mārcō īgnōvit.

(ix) Avus mortuus est;
Puerī puellaeque lacrimant.

(x) Mārcus animālia persecūtus est
Mārcus sērō ad lūdum advēnit.

Quīnta et Quīnquāgēnsima Lēctiō.

Participia Praesēns et Futūrum.

Hortus.

Diē quōdam prīmō vēre Titus, quī iam pedibus īre poterat, cum nūtrīce in hortum ingressus flōrēs spectābat. Ubīque stant arborēs, quae aestāte, dum sōl fulget, dulcem umbram praebēbunt et autumnō pōma ferent. Hīc sata sunt sēmina, ex quibus mox flōrēs variīs colōribus, līlia, violae, rosae, nāscentur; illīc iam flōrent hyacinthī, crocī, narcissī. Omnēs Titus amābat et praecipuē hyacinthum; quem ad flōrem currit et carptūrus eum manū tangit. Subitō autem nōn verba tantum nūtrīcis, sed verbera etiam meminit; illa enim flōrēs carpere saepe eum vetuerat. Tum 'Quōmodo', inquit, 'hic flōs vocātur?' Postquam hoc didicit, iterum rogāvit: 'Cūr hyacinthus vocātur?' Illa 'Tibi hoc dīcam', inquit. 'Hyacinthus puer erat pulcherrimus et tam grandis quam Mārcus. Eum et Phoebus Apollō et Zephyrus amābant; libentius tamen cum Apolline puer lūdēbat. Ōlim Zephyrus eōs inter sē discum iacientēs cōnspexit, et īrātus discum ā deō coniectum in cor puerī dēvertit. Ille gravī vulnere ictus humī cecidit; neque ars Phoebī neque lacrimae Zephyrī, quem iam factī paenitet, ad vītam eum revocāre possunt. Ē sanguine ēius exortus est flōs semper nōmen servātūrus.'

Pēnsum.

A. Scrībe participia praesēns et futūrum āctīvae vōcis et perfectum passīvae vōcis verbōrum:
spectō, ferō, serō, vocō, carpō, servō, tangō, dīcō, lūdō, doceō, iaciō, audiō.

B. Scrībe participia praesēns et futūrum et perfectum verbōrum dēpōnentium: moror, comitor, mereor, sequor, loquor, ingredior, patior, īrāscor, oblīvīscor, amplector, morior, exorior.

C. Respondē:

(i) Quid sīgnificat Verbum Dēpōnēns?
(ii) Quō tempore annī Titus flōrēs spectābat?
(iii) Quō tempore annī arborēs umbram praebent? Quandō pōma ferunt?
(iv) Explicā vocābula: sēmen, cor, sanguis.
(v) Quō colōre sunt flōrēs?
(vi) Quī flōrēs vēre nāscuntur? Quī aestāte?
(vii) Quō cōnsiliō Titus hyacinthum tangit?
(viii) Cūr cōnsilium vertit?
(ix) Comparā Hyacinthum cum Mārcō.
(x) Quī ventus ex occidente flat? Quī ex oriente? Quī ē merīdiē? Quī ā septentriōnibus?
(xi) Quōcum puer libentius lūdēbat?
(xii) Quis illīs invidēbat?
(xiii) Paenitetne tē, sī malum fēcistī?
(xiv) Cūius reī tum tē paenitet?
(xv) Unde flōs exortus est?

D. Coniunge in ūnam sententiam:

(i) { Puer rīdēbat;
Puer ad cēnam regressus est.

(ii) { Phoebus Apollō et Mārcus discum iaciēbant;
Illī sermōnem inter sē cōnferēbant.

(iii) { Zephyrus lacrimābat;
Zephyrus corpus Hyacinthī spectāvit.

(iv) { Gladiātōrēs moritūrī sunt;
Gladiātōrēs cōnsulem salūtant.

(v) { Mīles profectūrus est;
Mīles uxōrem suam amplectitur.

(vi) { Coniūrātī Caesarem occīsūrī erant;
Coniūrātī eum undique premēbant.

E. Clausulam temporālem verte in participium:

(i) Horātius, dum in aquam dēsilit, exclāmāvit: 'Rōmam servāvī.'

(ii) Senex, dum moritur, 'Valēte,' inquit, 'līberī meī!'

(iii) Dum sōl oritur, Gallus cantat.

(iv) Caesar, dum iter facit, litterās ā senātū accēpit.

(v) Postquam Caesar Rōmam regressus est, Brūtus Cassiusque eum occīdērunt.

(vi) Postquam geminī prope Tiberim relictī sunt, lupa eōs invēnit.

(vii) Lupa, dum aquam bibit, vāgītūs puerōrum audit.

(viii) Pāstor, postquam puerōs invēnit, eōs uxōrī suae dedit.

Sexta et Quīnquāgēnsima Lēctiō.

Mēnsa.

Hōra cēnae adest, et omnēs **propter labōrem** ēsurientēs et sitientēs domum redeunt. Nōnne famēs optimum cibī condīmentum est? Cibō igitur parātō servīsque circumstantibus, tōta familia in **trīclīniō** accumbit; Cornēlius ipse in summō locō, uxor in proximō, deinde fīliī fīliaeque. Servī cibum ante eōs pōnunt et ex **amphorā** vīnum aut aquam in **pōcula fundunt**; prīmō ōva aut piscēs edunt, deinde carnem aut ovium aut boum aut avium, postrēmō pōma. **Pānem digitīs** frangunt; **dextrā** omnēs **cibōs** ad **ōs** ferunt; pōcula vīnō plēna ad **labra** tollunt. Nōnnunquam Semprōnia Titum **culpat**, quod **nimis** est et rapidius quam oportet. 'Nōlī tanta **frusta sorbēre**, sed parvam partem **dentibus mordē**!' Tum pater 'Neque edācēs', inquit, 'nōs oportet esse neque ēbriōsōs, sed **sobriōs**; satis este et satis bibite, meī līberī; deinde, famē **sitīque** dēpulsīs, **dēsistite**! **mentem** sānam ita servābitis in corpore sānō. Hominibus **vērō** edendum est vīvendī causā; sīc **renovātus sanguis** ex corde per omnia membra fluit; itaque corpora nōbīs validiōra fīunt et sāniōra.'

Pēnsum

A. Scrībe Partēs Prīncipālēs: accumbō, fundō, mordeō, edō, bibō, dēsistō, ēsuriō, sitiō, sorbeō, fluō, frangō.

B. Respondē:

(i) Quandō tōta familia in trīclīniō accumbit?
(ii) Cūr Semprōnia Titum culpat?
(iii) Quid Titum nōn oportet facere?
(iv) Quālēs nōs nōn oportet esse?
(v) Quandō nōbīs dēsistendum est?
(vi) Quō cōnsiliō hominibus edendum est?
(vii) Quid Titō nōn sorbendum est?
(viii) Quid eī mordendum est?
(ix) Quantum nōbīs edendum et bibendum est?
(x) Cūr omnēs domum redeunt?
(xi) Quō cōnsiliō omnēs domum redeunt?
(xii) Cūr omnes ēsuriunt et sitiunt?
(xiii) Quālēs nōs oportet esse?
(xiv) Quōmodo corpora nōbīs validiōra fīunt?
(xv) Unde servus vīnum effundit?

C. Dēclīnā: famēs, sitis, dēns, cor, ōs, sanguis, bōs, carō.

D. Tū Mārcus es: dēscrībe cēnam.

ARS GRAMMATICA

PRĪMA PARS: ACCIDENTIA

NŌMINA.

§ 1. Flexibus nōminum Numerus et Cāsus dēclārantur.

Numerī sunt duo, Singulāris et Plūrālis.

Cāsūs sunt sex, Nōminātīvus, Vocātīvus, Accūsātīvus, Genetīvus, Datīvus, Ablātīvus.

Genera etiam tria sunt nōminum, Māsculīnum, Fēminīnum, Neutrum.

§ 2. Quīnque sunt dēclīnātiōnes nōminum, quās īnfrā expōnēmus; Genetīvī Cāsūs terminātiōnibus dēcernendae sunt.

§ 3. *Prīma Dēclīnātiō.*

Prīma Dēclīnātiō eōrum est nōminum quōrum Genetīvus in Singulārī Numerō in -ae exit. E. g.

	Sing.	*Plūr.*
N. V.	mēns-a	mēns-ae
A.	mēns-am	mēns-ās
G.	mēns-ae	mēns-ārum
D.	mēns-ae	mēns-īs
Abl.	mēns-ā	mēns-īs

Hōrum nōminum Genus est Fēminīnum, nisi quod ea quae virōs dēsīgnant Māsculīna sunt.

Eōdem modō dēclīnantur haec:

Fēminīna:

amphora	camera	columba	dextra
aqua	carta	columna	domina
āra	causa	crēta	epistula
arista	cēna	culpa	fābula

Fēminīna:

familia	līnea	poena	tabella
fēmina	lingua	porta	tabula
fenestra	līttera	prōra	terra
fera	lōrīca	prōvincia	toga
ferula	lupa	puella	tuba
fīlia	mēnsa	pūgna	tunica
fossa	mora	rīpa	umbra
galea	nota	rosa	vacca
gallīna	ōra	sagitta	vāgīna
harēna	paenīnsula	scientia	via
hasta	pāgina	sella	victima
historia	patria	sententia	victōria
hōra	pecūnia	serva	vigilia
iānua	pīctūra	silva	vīlla
īnsula	pila	sinistra	viola
invidia	planta	statua	vīta
lacrima	pluvia	stola	

Āfrica	Germānia	Melita [1]	Athēnae [2]
Britannia	Graecia	Rhea Silvia	cōpiae
Cornēlia	Helvētia	Rōma [1]	grātiae
Corsica	Hibernia	Sardinia	lītterae
Eurōpa	Hispānia	Semprōnia	
Gallia	Ītalia	Sicilia	

Māsculīna:

agricola	nauta	verna
incola	poēta	Mūrēna

[1] Cāsus Locātīvus: *Melitae, Rōmae.* [2] Cāsus Locātīvus: *Athēnīs.*

Secunda Dēclīnātiō.

§ 4. Hāc in Dēclīnātiōne Nōminātīvus Singulāris in us aut -er aut -um, Genetīvus in -ī, exit.

Nōmina quae in -us aut -er exeunt Māsculīna sunt.

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*
N.	amīc-us	amīc-ī	ager	agr-ī
V.	amīc-e	amīc-ī	ager	agr-ī
A.	amīc-um	amīc-ōs	agr-um	agr-ōs
G.	amīc-ī	amīc-ōrum	agr-ī	agr-ōrum
D.	amīc-ō	amīc-īs	agr-ō	agr-īs
Abl.	amīc-ō	amīc-īs	agr-ō	agr-īs

Eōdem modō dēclīnantur:

āgnus	fundus	servus	Iūlius[3]
alveus	gallus	socius	Mārcus
amīcus	gladius	somnus	Notus
animus	hortus	stilus	Ōceanus
annus	humus[1]	taurus	Padus
asinus	hyacinthus	tribūnus	Phoebus
autumnus	lēctus	triumphus	Poenus
avus	libellus	umerus	Quīntus
campus	līmus	ventus	Remus
capillus	loculus	vīcus	Rōmānus
captīvus	locus[2]	vīlicus	Rōmulus
cāseus	lūdus		Sextus
cervus	modus	Brūtus	Titus
cibus	mūlus	Circus	Zephyrus
clipeus	mūrus	Cornēlius[3]	geminī
clīvus	narcissus	Etruscus	lūdī
coniūrātus	nāsus	Eurus	
crocus	numerus	Gāius	ager
digitus	nūntius	Gallus	aper
discipulus	oculus	Germānus	liber
discus	populus	Graecus	magister
dominus	pūgnus	Hispānus	puer[4]
equus	rēgulus	Horātius[3]	vir[4]
fīlius[3]	rēmus	Indus	Ister
fluvius	sagittārius[3]	Ītalus	līberī[4]

[1] Fēminīnī Generis; Cāsus Locātīvus, *humī*. [2] pl. *loca*. [3] Voc. et Gen. sing. *-ī*. [4] Gen. *puerī, virī, līberōrum*.

§ 5. Ea nōmina quae in -um exeunt Generis sunt Neutrī; hōc modō dēclīnantur:

	Sing.	*Plūr.*
N. V. A.	bell-um	bell-a
G.	bell-ī	bell-ōrum
D.	bell-ō	bell-īs
Abl.	bell-ō	bell-īs

Eōdem modō dēclīnantur:

aedificium	caelum	dōnum	frustum
arātrum	collum	exemplum	gaudium
baculum	condīmentum	factum	gubernāculum
bellum	cōnsilium	forum	horreum
bracchium	cubiculum	frūmentum	iaculum

imperium	perīculum	silentium	vēlum
initium	plaustrum	spatium	verbum
īnstrūmentum	pōculum	spectāculum	vestīmentum
interrogātum	pōmum	spolium	vēxillum
iugum	praemium	stāgnum	vinculum
iussum	praetōrium	tabernāculum	vīnum
labrum	prandium	tēctum	vitium
līlium	prōdigium	tēlum	
mālum	proelium	templum	Brundisium[1]
membrum	rēgnum	tergum	Capitōlium
negōtium	respōnsum	theātrum	Latium
oppidum	rōstrum	tormentum	Ōstium[1]
ōstium	sacrificium	trānstrum	
ōtium	saxum	trīclīnium	arma
ōvum	scūtum	vāllum	castra
pēnsum	sīgnum	vehiculum	impedīmenta

[1] Loc. sing. in -ī.

Tertia Dēclīnātiō: Nōmina Parisyllabica.

§ 6. Hāc in Dēclīnātiōne Genetīvus Singularis in -is exit.

Distinguenda sunt Parisyllabica nōmina ab Imparisyllabicīs: parisyllabica sunt ea nōmina quae in Genetīvō parēs atque in Nōminātivō syllabās praebent; haec omnia Genetīvum Plūrālem in -ium formant, e. g.

	Sing.	*Plūr.*
N. V.	cīv-is	cīv-ēs
A.	cīv-em	cīv-ēs
G.	cīv-is	cīv-ium
D.	cīv-ī	cīv-ibus
Abl.	cīv-e	cīv-ibus

Eōdem modō dēclīnantur haec Māsculīna et Fēminīna nōmina:

avis[1]	iuvenis	ovis[1]	sitis[1,3]
canis[2]	senex[2]	pānis	tigris[3]
fīnis	(g. sen-is)	pellis[1]	vestis[1]
fūnis	mēnsis	piscis	Tiberis[3]
hostis	nāvis[1]	puppis[1,3]	

[1] Fem. [2] Gen. pl. *canum, iuvenum, senum.* [3] Acc. s. *-im*, abl. s. *-ī*.

famēs [1,4]	arx (arc-is) [1]	nix (niv-is) [1]	Alpēs (Alp-ium) [1]
nūbēs [1]	dēns (dent-is)	nox (noct-is) [1]	Occidēns (Occident-is)
vātēs	frōns (front-is) [1]	pars (part-is) [1]	Oriēns (Orient-is)
imber (g. imbr-is)	gēns (gent-is) [1]	plēbs (plēb-is) [1]	
	mēns (ment-is) [1]	pōns (pont-is)	
ars (art-is) [1]	mōns (mont-is)	urbs (urb-is) [1]	

[1] Fēm. [4] Abl. s. *famē.*

Nōmina Imparisyllabica.

§ 7. Hōrum nōminum Genetīvus Plūrālis in -um, nōn in -ium, exit.

Animadvertenda est summā cūrā in hūiusmodī nōminibus Rādīx, i. e. ea pars nōminis cuī īnflexiōnēs adiungis eō cōnsiliō ut nōmen dēclīnēs, e. g. leō, rādīx leōn-.

	Sing.	*Plūr.*
N. V.	leō	leōn-es
A.	leōn-em	leōn-es
G.	leōn-is	leōn-um
D.	leōn-ī	leōn-ibus
Abl.	leōn-e	leōn-ibus

Alia exempla rādīcum :

labōr-	Nom. S. labor	Gen. Pl. labōr-um
flōr-	Nom. S. flōs	Gen. Pl. flōr-um
patr-	Nom. S. pater	Gen. Pl. patr-um
mīlit-	Nom. S. mīles	Gen. Pl. mīlit-um
greg-	Nom. S. grēx (= greg-s)	Gen. Pl. greg-um
iūdic-	Nom. S. iūdex (= iūdic-s)	Gen. Pl. iūdic-um
ōrātiōn-	Nom. S. ōrātiō	Gen. Pl. ōrātiōn-um
fortitūdin-	Nom. S. fortitūdō	Gen. Pl. fortitūdin-um
aestāt-	Nom. S. aestās	Gen. Pl. aestāt-um
virtūt-	Nom. S. virtūs	Gen. Pl. virtūt-um
pāc-	Nom. S. pāx (= pāc-s)	
vōc-	Nom. S. vōx (= vōc-s)	Gen. Pl. vōc-um
lūc-	Nom. S. lūx (= lūc-s)	

Māsculīna Nōmina Imparisyllabica.

§ 8. Māsculīna sunt ea nōmina Tertīae Dēclīnatiōnis quae in -ō, -or, ōs, -ter, -es, -ex exeunt, e.g.

centuriō	imperātor	eques	rēmēx (rēmig-is)
leō	pāstor	mīles	sōl (sōl-is)
sermō	senātor	pedes	vigil (vigil-is)
Septentriōn-ēs	spectātor	pēs (ped-is)	
	vēnātor	sanguis (sanguin-is)	
arbor[1]	viātor		
clāmor	victor		Apollō (Apollin-is)
color			
labor	flōs	anas (anat-is)	Aquilō
soror[1]	mōs	dux (duc-is)	Caesar
uxor[1]	hērōs (hērō-is)	grēx (greg-is)	Hannibal
arātor	sacerdōs (sacerdōt-is)	lepus (lepor-is)	Mārs (Mārt-is)
auctor		prīnceps (prīncip-is)	Scīpiō
gladiātor	frāter		Vercingetorīx
gubernātor	māter[1]	parēns (parent-is)	
iaculātor	pater		

[1] Fēm. secundum sēnsum.

Fēminīna Nōmina Imparisyllabica.

§ 9. Fēminīna sunt ea nōmina quae in -dō, -iō, -tās, -ūs, -x exeunt, e.g.

fortitūdō	ōrātiō	virtūs	carō (carn-is)
multitūdō	profectiō	sūs (su-is)	hiems (hiem-is)
hirundō			
	aestās	cornīx	laus (laud-is)
coniūrātiō	celeritās	lūx	pecus (pecud-is)
lēctiō	facultās	nūtrīx	seges (seget-is)
legiō		pāx	
obsidiō	salūs	vōx	Carthāgō[1] (Carthāgin-is)
opīniō	servitūs		

[1] Loc. sing. *Carthāginī.*

Neutrālia Nōmina.

§ 10. (1) *Parisyllabica.*

	Sing.	*Plūr.*
N. V. A.	mar-e	mar-ia
G.	mar-is	mar-ium
D.	mar-ī	mar-ibus
Abl.	mar-ī	mar-ibus

Eōdem modō dēclīnantur: cubīle, animal, moenia (pl.).

(2) *Imparisyllabica.*

§ **11.** Neutrālia sunt ea nōmina quae in -en (e. g. nōmen, nōmin-is), -us (e. g. genus, generis ; corpus, corpor-is), -er (e. g. verber, verber-is) exeunt.

	Sing.	*Plūr.*
N. V. A.	genus	gener-a
G.	gener-is	gener-um
D.	gener-ī	gener-ibus
Abl.	gener-e	gener-ibus

Eōdem modō dēclīnantur :

āgmen	opus	crūs	caput (capit-is)
carmen	vulnus	rūs [2]	cor (cord-is)
flūmen			lāc (lāct-is)
sēmen	corpus [1]	iter [3]	diadēma
	lītus [1]	vēr	(diadēmat-is)
genus	pecus [1]	verber	
onus	tempus [1]	ōs (ōr-is)	

[1] Gen. sing. in *-oris.* [2] Loc. sing. *rūrī.* [3] Gen. sing. *itineris.*

Quārta Dēclīnātiō.

§ **12.** Hūiūs dēclīnātiōnis sunt nōmina in -us et -ū exeuntia quae Genetīvum in -ūs formant, e. g. portus (māsc.), genū (neut.).

	Sing.	*Plūr.*
N. V.	port-us	port-ūs
A.	port-um	port-ūs
G.	port-ūs	port-uum
D.	port-uī	port-ibus
Abl.	port-ū	port-ibus
N. V. A.	gen-ū	gen-ua
G.	gen-ūs	gen-uum
D.	gen-ū	gen-ibus
Abl.	gen-ū	gen-ibus

Eōdem modō dēclīnantur haec Māsculīna et Neutrālia:

arcus [2]	exercitus	portus	vāgītus
ascēnsus	gradus	porticus [1]	Īdūs (pl.) [1]
cōnspectus	īctus	quercus [1]	
currus	impetus	reditus	cornū
cursus	manus [1]	saltus	genū
dēscēnsus	passus	senātus	

[1] Fēm. [2] D. Abl. pl. *arcubus.*

Quīnta Dēclīnātiō.

§ 13. Hanc in Dēclīnātiōnem cadunt plēraque nōmina quae in -ēs exeunt. Omnia praeter diēs (m.) fēminīna sunt.

	Sing.	*Plūr.*
N. V.	di-ēs	di-ēs
A.	di-em	di-ēs
G.	di-ēī	di-ērum
D.	di-ēī	di-ēbus
Abl.	di-ē	di-ēbus

Ita etiam: aciēs, glaciēs, merīdiēs, rēs.

§ 14. *Anōmala Nōmina.*

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*
N.V.	bōs	bov-es	deus (voc. deus)	dī
A.	bov-em	bov-es	de-um	de-ōs
G.	bov-is	bo-um	de-ī	de-ōrum *vel* de-um
D.	bov-ī	bō-bus	de-ō	dīs
Abl.	bov-e	bō-bus	de-ō	dīs

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Sing.*
N.V.	domus	dom-ūs	vīs	Iuppiter
A.	dom-um	dom-ōs	vim	Iov-em
G.	dom-ūs	dom-ōrum	(*dēest*)	Iov-is
D.	dom-uī	dom-ibus	(*dēest*)	Iov-i
Abl.	dom-ō	dom-ibus	vī	Iov-e

N.B. Rēspublica, Gen. reīpublicae, &c.

§ 15. *Adiectīva Prīmae Classis.*

Bon-us (m.), bon-a (f.), bon-um (n.).

		M.	F.	N.
Sing.	N.	bon-us	bon-a	bon-um
	V.	bon-e	bon-a	bon-um
	A.	bon-um	bon-am	bon-um
	G.	bon-ī	bon-ae	bon-ī
	D.	bon-ō	bon-ae	bon-ō
	Abl.	bon-ō	bon-ā	bon-ō
Plūr.	N. V.	bon-ī	bon-ae	bon-a
	A	bon-ōs	bon-ās	bon-a
	G.	bon-ōrum	bon-ārum	bon-ōrum
	D. Abl.	bon-īs	bon-īs	bon-īs

Eōdem modō dēclīnantur:

acūtus
adversus
aequus
albus
altus
angustus
antīquus
apertus
aurātus
barbarus
benīgnus
bonus
caeruleus
callidus
cārus
certus
clārus
clausus
contentus
dēfessus
dēnsus
dīgnus
doctus
ēbriōsus
fessus
fēstus
flāvus
hodiernus
honestus
īgnāvus
improbus
inclūsus
indīgnus
indūtus
īnfestus
inīquus
iniūstus
innumerus
īnstitūtus
īrātus
iūstus
laetus
lātus
lēctus
lentus
longus
māgnus
malus
medius
meus[1]
mortuus
multus
nātus
nitidus
novus
oblongus
obscūrus
obsessus
obstupefactus
parātus
parvus
perīculōsus
permultus
plēnus
propinquus
proprius
pūrus
quantus ?
quadrātus
quotus ?
rapidus
rēgius
rōbustus
rotundus
ruptus
saevus
sānus
secundus
sēcūrus
senātōrius
siccus
sobrius
sordidus
splendidus
studiōsus
stultus
superbus
suus
tantus
timidus
tranquillus
tuus
tūtus
umbrōsus
ūniversus
varius
validus
vēnāticus

Anglicus
Cornēliānus
Gallicus
Latīnus
Mārtius
Rōmānus

cēterī
paucī
plērīque
singulī

[1] Voc. Māsc. S. *mī*.

Eōdem modō dēclīnantur participia futūrum āctīvum et perfectum passīvum.

N.B. Dexter, dextr-a, dextr-um. Ita etiam niger, noster, pulcher, ruber, sacer, sinister, vester.

Tener, tener-a, tener-um; miser, miser-a, miser-um.

Anōmala Adiectīva.

	M.	F.	N.	M.	F.	N.
N.	ūn-us	ūn-a	ūn-um	ali-us	ali-a	ali-ud
V.	ūn-e	ūn-a	ūn-um		(*dēest*)	
A.	ūn-um	ūn-am	ūn-um	ali-um	ali-a	ali-ud
G.	ūn-īus	ūn-īus	ūn-īus	alī-us	alī-us	alī-us
D.	ūn-ī	ūn-ī	ūn-ī	ali-ī	ali-ī	ali-ī
Abl.	ūn-ō	ūn-ā	ūn-ō	ali-ō	ali-ā	ali-ō

Pl. ali-ī, ali-ae, ali-a, &c.

Eōdem modō dēclīnantur: nūllus, sōlus, tōtus, nōnnūllī, alter (Gen. alterius), uter (Gen. utrīus).

Adiectīva Secundae Classis.

§ **16.** *Parisyllabica.*

	Sing.		*Plūr.*	
	M. F.	N.	M. F.	N.
N. V.	brev-is	brev-e	brev-ēs	brev-ia
A.	brev-em	brev-e	brev-ēs	brev-ia
G.	brev-is		brev-ium	
D.	brev-ī		brev-ibus	
Abl.	brev-ī		brev-ibus	

Ita etiam:

crūdēlis	fertilis	illūstris	tālis
difficilis	fidēlis	omnis	trīstis
docilis	fortis	quālis?	triumphālis
dulcis	grandis	rudis	ūtilis
facilis	gravis		

	Sing.			*Plūr.*	
	M.	F.	N.	M. F.	N.
N. V.	ācer	ācr-is	ācr-e	ācr-ēs	ācr-ia
A.	ācr-em	ācr-em	ācr-e	ācr-ēs	ācr-ia
G.		ācr-is		ācr-ium	
D.		ācr-ī		ācr-ibus	
Abl.		ācr-ī		ācr-ibus	

N.B. Celer, celeris, celere.

§ 17. *Imparisyllabica.*

	Sing.		*Plūr.*	
	M. F.	N.	M. F.	N.
N. V.	audāx		audāc-ēs	audāc-ia
A.	audācem	audāx	audāc-ēs	audāc-ia
G.	audāc-is		audāc-ium	
D.	audāc-ī		audāc-ibus	
Abl.	audac-ī		audāc-ibus	

Eōdem modō dēclīnantur:

dīves[1] (dīvit-)	imprūdēns (imprūdent-)	pauper[1]	rapāx
edāx	ingēns (ingent-)	potēns	sagāx
ferōx (ferōc-)		prūdēns	vetus[2] (veter-)

[1] G. pl. *dīvitum, pauperum.* [2] N. pl. *vetera,* G. pl. *veterum.*

Comparātīva hōc modō dēclīnantur:

	Sing.		*Plūr.*	
	M. F.	N.	M. F.	N.
N. V.	melior	melius	meliōr-ēs	meliōr-a
A.	meliōr-em	melius	meliōr-ēs	meliōr-a
G.	meliōr-is		meliōr-um	
D.	meliōr-ī		meliōr-ibus	
Abl.	meliōr-e		meliōr-ibus	

Comparātiō Adiectīvōrum.

§ 18. Trēs sunt Gradūs Comparātiōnis, Positīvus, Comparātīvus, Superlātīvus; quī hōc modō formantur.

	Posit.	*Rādīx*	*Comp.*	*Superl.*
	clārus	clār-	clār-ior	clār-issimus
	brevis	brev-	brev-ior	brev-issimus
	audāx	audāc-	audāc-ior	audāc-issimus
	prūdēns	prūdent-	prūdent-ior	prūdent-issimus
N.B. 1.	niger	nigr-	nigr-ior	nigerrimus
	miser	miser-	miser-ior	miserrimus

Eōdem modō quō niger et miser comparantur alia adiectīva quae in -er exeunt, e.g. pulcher, ācer, celer.

N.B. 2.	facilis	facil-	facil-ior	facil-limus
	difficilis	difficil-	difficil-ior	difficil-limus

§ 19. *Anōmala Comparātiō.*

bonus	melior	optimus
malus	pēior	pessimus
māgnus	māior	māximus
parvus	minor	minimus
multus	plūs [1]	plūrimus
multī	plūrēs [2]	plūrimī
vetus	vetustior	veterrimus
exterus	exterior	extrēmus
īnferus	īnferior	īnfimus *vel* īmus
superus	superior	summus
(*dēest*)	prior	prīmus
(*dēest*)	propior	proximus

[1] Neut. [2] Gen. *plūrium*, N. et A. Neut. *plūra.*

§ 20. *Formātiō Adverbiōrum.*

(*a*) Adiectīva prīmae classis -ē plērumque rādīcī addunt, e.g. amīcē, īgnāvē, lentē, miserē, &c.

Excepta: bene, male.
cito, subitō, rārō.
multum, māgnopere, plērumque.

(*b*) Adiectīva secundae classis -iter rādīcī addunt, e.g. ācriter, celeriter, fortiter, sagāciter.

Excepta: audācter, dīligenter, libenter, prūdenter.
facile, difficulter.

Index Adverbiōrum.

§ 21. *Adverbia modī.*

Quōmodo? forte, fortasse, ita, quam? sēparātim, sīc; accedunt etiam omnia quae in -ē et -ter exeunt.

Quantum? haud, immō, multum, magis, māximē, nē . . . quidem, nōn, plūs, minimē, satis, nimis, ferē, paene, praecipuē, longē, procul, plērumque, tantum, vīx.

Adverbia temporis.

Quandō? adhūc, aliquandō, anteā, cottīdiē, crās, deinde, dēnique, extemplō, herī, hodiē, iam, interdum, intereā, māne, modo, mox, noctū, nōndum, nōnnunquam, nunquam, nunc, nūper, ōlim, posteā, posthāc, postrēmō, prīmō, prīmum, semper, statim, tandem, unquam, vesperī.

Quamdiū? diū, parumper.

Quotiēns? iterum, saepe, semel, bis, ter, &c.

Adverbia locī.

Ubi? circā, hīc, ibi, illīc, īnfrā, ubīque; domī, humī, rūrī, Brundisiī, Rōmae, &c.

Quō? hūc, illūc; domum, Rōmam, &c.

Unde? hīnc, illīnc, undique; domō, rūre, Rōmā, &c.

§ 22. *Grad. pos.*	*Grad. comp.*	*Grad. superl.*
clār-ē	clār-ius	clār-issimē
brev-iter	brev-ius	brev-issimē
audāc-ter	audāc-ius	audāc-issimē
prūden(t-)ter	prūdent-ius	prūdent-issimē
miser-ē	miser-ius	miser-rimē
facil-e	facil-ius	facil-limē
bene	melius	optimē
male	pēius	pessimē
māgnopere	magis	māximē
multum	plūs	plūrimum
paullum	minus	minimē
diū	diūtius	diūtissimē
(*dēest*)	prius	prīmum
(*dēest*)	propius	proximē

NUMERĀLIA.

§ 23.	*Cardinālia* (Quot?)	*Ordinālia* (Quotus?)	*Adverbia* (Quotiēns?)
I	ūnus	prīmus	semel
II	duo	secundus *vel* alter	bis
III	trēs	tertius	ter
IV	quattuor	quārtus	quater
V	quīnque	quīntus	quīnquiēns
VI	sex	sextus	sexiēns
VII	septem	septimus	septiēns
VIII	octō	octāvus	octiēns
IX	novem	nōnus	noviēns
X	decem	decimus	deciēns
XI	ūndecim	ūndecimus	ūndeciēns
XII	duodecim	duodecimus	duodeciēns
XIII	tredecim	tertius decimus	terdeciēns
XIV	quattuordecim	quārtus decimus	quaterdeciēns
XV	quīndecim	quīntus decimus	quīndeciēns
XVI	sēdecim	sextus decimus	sēdeciēns

	Cardinālia (Quot?)	*Ordinālia* (Quotus?)	*Adverbia* (Quotiens?)
XVII	septendecim	septimus decimus	septiēns deciēns
XVIII	duodēvīgintī	duodēvīcēnsimus	duodēvīciēns
XIX	ūndēvīgintī	ūndēvīcēnsimus	ūndēvīciēns
XX	vīgintī	vīcēnsimus	vīciēns
XXI	ūnus et vīgintī	ūnus et vīcēnsimus	semel et vīciēns
XXX	trīgintā	trīcēnsimus	trīciēns
XL	quadrāgintā	quadrāgēnsimus	quadrāgiēns
L	quīnquāgintā	quīnquāgēnsimus	quīnquāgiēns
LX	sexāgintā	sexāgēnsimus	sexāgiēns
LXX	septuāgintā	septuāgēnsimus	septuāgiēns
LXXX	octōgintā	octōgēnsimus	octōgiēns
XC	nōnāgintā	nōnāgēnsimus	nōnāgiēns
C	centum	centēnsimus	centiēns

Dēclīnātiō Numerālium.

§ 24. Dēclīnantur ūnus (v. § 15), duo, trēs.

Alia ā quattuor usque ad centum Cardinālia indēclīnābilia sunt.

Duo (ambō) et trēs hōc modō dēclīnantur:

	M.	F.	N.	M. F.	N.
N. V.	duo	duae	duo	trēs	tria
A.	duōs	duās	duo	trēs	tria
G.	duōrum	duārum	duōrum	trium	
D. Abl.	duōbus	duābus	duōbus	tribus	

Ordinālia eōdem modō dēclīnantur quō bonus, bona, bonum.

PRŌNŌMINA.

§ 25. (*a*) *Persōnālia.*

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*
N.	ego	nōs	tū	vōs
A.	mē	nōs	tē	vōs
G.	meī	nostrūm, nostrī	tuī	vestrūm, vestrī
D.	mihi	nōbīs	tibi	vōbīs
Abl.	mē	nōbīs	tē	vōbīs

(*b*) *Reflexīva.*

Sing. et Plūr.	
A.	sē *vel* sēsē
G.	suī
D.	sibi
Abl.	sē *vel* sēsē

(*c*) *Dēmōnstrātīva.*

Sing.	M.	F.	N.	*Plūr.* M.	F.	N.
N.	hic	haec	hoc	hī	hae	haec
A.	hunc	hanc	hoc	hōs	hās	haec
G.		hūius		hōrum	hārum	hōrum
D.		huīc			hīs	
Abl.	hōc	hāc	hōc		hīs	
N.	is	ea	id	eī, iī	eae	ea
A.	eum	eam	id	eōs	eās	ea
G.		ēius		eōrum	eārum	eōrum
D.		eī			eīs *vel* iīs	
Abl.	eō	eā	eō		eīs *vel* iīs	
N.	ille	illa	illud	illī	illae	illa
A.	illum	illam	illud	illōs	illās	illa
G.		illīus		illōrum	illārum	illōrum
D.		illī			illīs	
Abl.	illō	illā	illō		illīs	

Eōdem modō quō **ille** dēclīnantur **iste** et **ipse**, nisi quod **ipse** Neutrum N. et A. **ips-um** praebet.

Īdem, quod vocābulum ex **is** et **-dem** compositum est, hōc modō dēclīnātur:

Sing.	M.	F.	N.	*Plūr.* M.	F.	N.
N.	īdem	eadem	idem	īdem	eaedem	eadem
A.	eundem	eandem	idem	eōsdem	eāsdem	eadem
G.		ēiusdem		eōrundem	eārundem	eōrundem
D.		eīdem			īsdem *vel* eīsdem	
Abl.	eōdem	eādem	eōdem		īsdem *vel* eīsdem	

(*d*) *Relātīvum.*

Sing. M.	F.	N.	*Plūr.* M.	F.	N.
N. quī	quae	quod	quī	quae	quae
A. quem	quam	quod	quōs	quās	quae
G.	cūius		quōrum	quārum	quōrum
D.	cuī			quibus	
Abl. quō	quā	quō		quibus	

Ita dēclīnantur Prōnōmina quis? quid?—aliquis aliqua aliquid—quis qua quid—quisque quaeque quidque—quīdam quaedam quiddam; etiam Adiectīva quī? quae? quod?—quisque quaeque quodque—quīdam quaedam quoddam.

N.B. Acc. S. quendam quandam quiddam.
Gen. Pl. quōrundam quārundam quōrundam.

PRAEPOSITIŌNES.

§ 26. Ā, ab, cum, dē,
Prō, sine, ex, ē,
Cāsum regunt Ablātīvum.
Ad, ante, apud, circum,
Contrā, extrā, infrā, inter,
Intrā, per, post, praeter,
Prope, propter, suprā, ultrā,
Cāsum regunt Accūsātīvum.
Haec tria, in, sub, super,
Secundum sēnsum Ablātīvum
Regunt aut Accūsātīvum.

CONIŪNCTIŌNĒS.

§ 27. (1) Hae coniūnctiōnēs aliam aliī sententiās coniungunt:

At, aut (aut . . . aut), autem[1], enim[1], et (et . . . et), etiam, igitur[1], itaque, nam, neque (neque . . . neque), -que[1], sed, tamen, vel (vel . . . vel).

(2) Hae coniūnctiōnēs clausulam sententiae coniungunt:

[1] Nōn potest prīmum in sententiā stāre; tamen etiam plērumque post prīmum vocābulum stat.

Antequam, cum, dum, nisi, postquam, quam, quia, quod, sī, simul āc *vel* atque, ut.

(3) Hae coniūnctiōnēs Interrogātīvam sententiam indicant:

-ne, num, utrum . . . an, -ne . . . an, annōn.

INTERIECTIŌNĒS.

§ 28. Haec vocābula sunt quae extrā sententiam stant, e.g. ecce, heus, iō, ō.

VERBA.

§ 29. Inflexiōnēs verbōrum Persōnam, Numerum, Tempus, Modum, Vōcem dēclārant.

Trēs sunt Persōnae, Prīma, Secunda, Tertia: e.g. amāba-m, amābā-s, amāba-t.

Duo sunt Numerī, Singulāris et Plūrālis: e.g. amāba-m, amābā-mus.

Sex sunt Tempora, Praesēns, Praeteritum Imperfectum, Futūrum, Perfectum, Praeteritum Perfectum, Futūrum Perfectum: e.g. ama-t, amā-bat, amā-bit, amā-vit, amā-verat, amā-verit.

Quattuor sunt Modī, Indicātīvus, Imperātīvus, Īnfīnītīvus, Coniūnctīvus: e.g. am-ās, am-ā, am-āre am-ēs.

Duae sunt Vōcēs, Āctīva et Passīva: e.g. am-at, am-atur.

Dēpōnentia sunt ea verba quae formam Passīvam sed sēnsum Āctīvum habent.

Coniugātiō Verbōrum.

§ 30. Quattuor sunt Coniugātiōnēs verbōrum; distinguuntur autem secundum rādīcem hōc modō:

Prīma Coniugātiō: Rādīx amā-
Secunda Coniugātiō: Rādīx monē-
Tertia Coniugātiō: Rādīx rege-
Quārta Coniugātiō: Rādīx audī-

Vōx Āctīva : Modus Indicātīvus.

		1. Rādīx amā-	2. Rādīx monē-	3. Rādīx rege-	4. Rādīx audī-
Praesēns	*S.* 1	amō	mone-ō	regō	audi-ō
	2	amā-s	monē-s	regi-s	audī-s
	3	ama-t	mone-t	regi-t	audi-t
	Pl. 1	amā-mus	monē-mus	regi-mus	audī-mus
	2	amā-tis	monē-tis	regi-tis	audī-tis
	3	ama-nt	mone-nt	reg-unt	audi-unt
Praeteritum Imperfectum	*S.* 1	amā-bam	monē-bam	regē-bam	audiē-bam
	2	amā-bās	monē-bās	regē-bās	audiē-bās
	3	amā-bat	monē-bat	regē-bat	audiē-bat
	Pl. 1	amā-bāmus	monē-bāmus	regē-bāmus	audiē-bāmus
	2	amā-bātis	monē-bātis	regē-bātis	audiē-bātis
	3	amā-bant	monē-bant	regē-bant	audiē-bant
Futūrum	*S.* 1	amā-bō	monē-bō	reg-am	audi-am
	2	amā-bis	monē-bis	reg-ēs	audi-ēs
	3	amā-bit	monē-bit	reg-et	audi-et
	Pl. 1	amā-bimus	monē-bimus	reg-ēmus	audi-ēmus
	2	amā-bitis	monē-bitis	reg-ētis	audi-ētis
	3	amā-bunt	monē-bunt	reg-ent	audi-ent

Vōx Āctīva : Modus Indicātīvus.

Perfectum	*S.*	1	amāv-ī *	monu-ī *	rēx-ī *	audīv-ī *
		2	amāv-istī	monu-istī	rēx-istī	audīv-istī
		3	amāv-it	monu-it	rēx-it	audīv-it
	Pl.	1	amāv-imus	monu-imus	rēx-imus	audīv-imus
		2	amāv-istis	monu-istis	rēx-istis	audīv-istis
		3	amāv-ērunt	monu-ērunt	rēx-ērunt	audīv-ērunt
Praeteritum Perfectum	*S.*	1	amāv-eram	monu-eram	rēx-eram	audīv-eram
		2	amāv-erās	monu-erās	rēx-erās	audīv-erās
		3	amāv-erat	monu-erat	rēx-erat	audīv-erat
	Pl.	1	amāv-erāmus	monu-erāmus	rēx-erāmus	audīv-erāmus
		2	amāv-erātis	monu-erātis	rēx-erātis	audīv-erātis
		3	amāv-erant	monu-erant	rēx-erant	audīv-erant
Futūrum Perfectum	*S.*	1	amāv-erō	monu-erō	rēx-erō	audīv-erō
		2	amāv-eris	monu-eris	rēx-eris	audīv-eris
		3	amāv-erit	monu-erit	rēx-erit	audīv-erit
	Pl.	1	amāv-erimus	monu-erimus	rēx-erimus	audīv-erimus
		2	amāv-eritis	monu-eritis	rēx-eritis	audīv-eritis
		3	amāv-erint	monu-erint	rēx-erint	audīv-erint

* Rādīcēs Perfectī Temporis: amāv-, monu-, rēx- (= reg-s), audīv-.

Imperātīvus Modus.

S. 2	amā	monē	rege	audī
3	amā-tō	monē-tō	regi-tō	audī-tō
Pl. 2	amā-te	monē-te	regi-te	audī-te
3	ama-ntō	mone-ntō	reguntō	audiuntō
Participia *Praes.*	amā-ns	monē-ns	reg-ēns	audiē-ns
Perf.	(*dēest*)	(*dēest*)	(*dēest*)	(*dēest*)
Fut.	amāt-ūrus	monit-ūrus	rēct-ūrus	audīt-ūrus
Īnfīnītīvus *Praes.*	amā-re	monē-re	rege-re	audī-re
Perf.	amāv-isse *	monu-isse *	rēx-isse *	audīv-isse *
Fut.	amātūrus esse	monitūrus esse	rēctūrus esse	audītūrus esse
Gerundium	amandum	monendum	regendum	audiendum
Supīnum	amātum	monitum	rēctum	audītum

* Rādīcēs Perfectī Temporis : amāv-, monu-, rēx- (= reg-s), audīv-.

Vōx Passīva : Modus Indicātīvus.

		1ª. *Coni.*	2ª. *Coni.*	3ª. *Coni.*	4ª. *Coni.*
Praesēns	*S.* 1	am-or	mone-or	reg-or	audi-or
	2	amā-ris	monē-ris	rege-ris	audī-ris
	3	amā-tur	monē-tur	regi-tur	audī-tur
	Pl. 1	amā-mur	monē-mur	regi-mur	audī-mur
	2	amā-minī	monē-minī	regi-minī	audī-minī
	3	ama-ntur	mone-ntur	reguntur	audiuntur
Praeteritum Imperfectum	*S.* 1	amā-bar	monē-bar	regē-bar	audiē-bar
	2	amā-bāris	monē-bāris	regē-bāris	audiē-bāris
	3	amā-bātur	monē-bātur	regē-bātur	audiē-bātur
	Pl. 1	amā-bāmur	monē-bāmur	regē-bāmur	audiē-bāmur
	2	amā-bāminī	monē-bāminī	regē-bāminī	audiē-bāminī
	3	amā-bantur	monē-bantur	regē-bantur	audiē-bantur
Futūrum	*S.* 1	amā-bor	monē-bor	regar	audiar
	2	amā-beris	monē-beris	regē-ris	audiē-ris
	3	amā-bitur	monē-bitur	regē-tur	audiē-tur
	Pl. 1	amā-bimur	monē-bimur	regē-mur	audiē-mur
	2	amā-biminī	monē-biminī	regē-minī	audiē-minī
	3	amā-buntur	monē-buntur	rege-ntur	audie-ntur

Perfectum	*S.*	1	amātus sum	monitus sum	rēctus sum	audītus sum
		2	amātus es	monitus es	rēctus es	audītus es
		3	amātus est	monitus est	rēctus est	audītus est
	Pl.	1	amātī sumus	monitī sumus	rēctī sumus	audītī sumus
		2	amātī estis	monitī estis	rēctī estis	audītī estis
		3	amātī sunt	monitī sunt	rēctī sunt	audītī sunt
Praeteritum Perfectum	*S.*	1	amātus eram	monitus eram	rēctus eram	audītus eram
		2	amātus erās	monitus erās	rēctus erās	audītus erās
		3	amātus erat	monitus erat	rēctus erat	audītus erat
	Pl.	1	amātī erāmus	monitī erāmus	rēctī erāmus	audītī erāmus
		2	amātī erātis	monitī erātis	rēctī erātis	audītī erātis
		3	amātī erant	monitī erant	rēctī erant	audītī erant
Futūrum Perfectum	*S.*	1	amātus erō	monitus erō	rēctus erō	audītus erō
		2	amātus eris	monitus eris	rēctus eris	audītus eris
		3	amātus erit	monitus erit	rēctus erit	audītus erit
	Pl.	1	amātī erimus	monitī erimus	rēctī erimus	audītī erimus
		2	amātī eritis	monitī eritis	rēctī eritis	audītī eritis
		3	amātī erunt	monitī erunt	rēctī erunt	audītī erunt

Imperātīvus Modus.

	S. 2	amā-re	monē-re	rege-re	audī-re
	3	amā-tor	monē-tor	regi-tor	audī-tor
	Pl. 2	amā-minī	monē-minī	regi-minī	audī-minī
	3	ama-ntor	mone-ntor	reguntor	audiuntor
Parti-cipia	*Praes.*	(*dēest*)	(*dēest*)	(*dēest*)	(*dēest*)
	Perf.	amā-tus	moni-tus	rēc-tus	audī-tus
	Fut.	(*dēest*)	(*dēest*)	(*dēest*)	(*dēest*)
Īnfīnī-tīvus Modus	*Praes.*	amā-rī	monē-rī	regī	audī-rī
	Perf.	amātus esse	monitus esse	rēctus esse	audītus esse
	Fut.	amātum īrī	monitum īrī	rēctum īrī	audītum īrī

Verba Dēpōnentia.

Eōdem modō quō Vōx Passīva dēclīnantur verba Dēpōnentia. Āctīva etiam Participia habent.

§ 32. (1) Verba Prīmae Coniugātiōnis quae eōdem modō quō amō coniugantur:

aedificō	cūrō	interrogō	pulsō
aegrōtō	dēdicō	intrō	putō
ambulō	dēspērō	inundō	recitō
amō	dēvolō	iterō	rēgnō
annūntiō	errō	labōrō	rēmigō
appropinquō	excitō	lacrimō	renovō
arō	exclāmō	laudō	revocō
cantō	explicō	mōnstrō	rogō
cēnō	explōrō	nārrō	sacrificō
cessō	expūgnō	natō	salūtō
clāmitō	exspectō	necō	servō
clāmō	fīrmō	numerō	sīgnō
cōgitō	flō	nūntiō	spectō
comparō	fugō	onerō	spērō
coniūrō	fūmō	oppūgnō	superō
cōnservō	gubernō	ornō	vītō
convocō	habitō	parō	vocō
corōnō	īgnōrō	portō	volitō
culpō	imperō	properō	vorō
cumulō	indicō	pūgnō	vulnerō.

(2) Verba Secundae Coniugātiōnis quae eōdem modō quō moneō coniugantur:

admoneō	flōreō [1]	lateō [1]	praebeō
careō [1]	habeō	pāreō [1]	sileō [1]
doleō	adhibeō	appāreō [1]	timeō [1]
exerceō	iaceō [1]		

[1] Dēest Supīnum.

(3) Verba Tertiae Coniugātiōnis: vidē § 35.

(4) Verba Quārtae Coniugātiōnis quae eōdem modō quō audiō coniugantur:

cūstōdiō	nūtriō	serviō	feriō [2]
dormiō	sciō	vestiō	sitiō [2]
mūniō	nesciō	ēsuriō [2]	

[2] Dēsunt et Perfectum et Supīnum.

Anōmala Verba.

§ 33. (I) Capio, capere, cēpī, captum.

		Vōx Āctīva.		Vōx Passīva.	
		Indic.	*Imper.*	*Indic.*	*Imper.*
Praesēns	*S.* 1	capiō		capior	
	2	capis	cape	caperis	capere
	3	capit	capitō	capitur	capitor
	Pl. 1	capimus		capimur	
	2	capitis	capite	capiminī	capiminī
	3	capiunt	capiuntō	capiuntur	capiuntor
Praet. Imp.		capiēbam, &c.		capiēbar, &c.	
Fut.		capiam, &c.		capiar, &c.	
Īnfīnīt.		capere		capī	
Gerund.		capiendum			

Ita etiam coniugantur cupiō, faciō, fodiō, fugiō, iaciō, rapiō, -spiciō, et hōrum composita.

Eōdem modō quō capior coniugantur gradior, morior, patior.

(2) Sum, esse, fuī.

		Praes.	Praet. Imp.	Fut.	Perf.	Praet. Perf.	Fut. Perf.
Indic.	*S.* 1	sum	eram	erō	fuī	fueram	fuerō
	2	es	erās	eris	fuistī	fuerās	fueris
	3	est	erat	erit	fuit	fuerat	fuerit
	Pl. 1	sumus	erāmus	erimus	fuimus	fuerāmus	fuerimus
	2	estis	erātis	eritis	fuistis	fuerātis	fueritis
	3	sunt	erant	erunt	fuērunt	fuerant	fuerint
Imperāt.	*S.* 2	es					
	3	estō					
	Pl. 2	este					
	3	suntō					
Particip.		*(dēest)*		futūrus	*(dēest)*		
Īnfīnīt.		esse		fore *vel* futūrus esse	fuisse		

(3) Possum, posse, potuī.

Praes. possum, potes, potest, possumus, potestis, possunt.
Praet. Imp. poteram, etc.
Fut. poterō, etc.

(4) Ferō, ferre, tulī, lātum.

Praesēns hōc modō coniugātur:

	Āctīva Vōx.		*Passīva Vōx.*	
	Indic.	*Imperāt.*	*Indic.*	*Imperāt.*
S. 1	ferō		feror	
2	fers	fer	ferris	ferre
3	fert	fertō	fertur	fertor
Pl. 1	ferimus		ferimur	
2	fertis	ferte	feriminī	feriminī
3	ferunt	feruntō	feruntur	feruntor

(5) Eō, īre, īvī, itum.

Praes. eo, īs, it, īmus, ītis, eunt.
Praet. Imp. ībam, etc.
Fut. ībō, etc.
Imperāt. ī, ītō, īte, euntō.
Particip. iēns (euntis), itūrus.
Īnfīnīt. īre, ī(vi)sse, itūrus esse.
Gerund. eundum.

(6) Meminī, nōvī, ōdī.

Haec verba formam perfectī temporis habent, praesentis sēnsum.

N.B. In verbīs n ō v ī et ō d ī dēest imperātīvus modus; sed m e m i n ī praebet imperātīvum : mementō, mementōte.

(7) Volō, velle, voluī. Nōlō, nōlle, nōluī. Mālō, mālle, māluī. Praesēns hōc modō conjugātur:

	Indic.			Imperāt.		
S. 1	volō	nōlō	mālō	(*dēest*)		(*dēest*)
2	vīs	nōnvīs	māvīs		nōlī	
3	vult	nōnvult	māvult		nōlītō	
Pl. 1	volumus	nōlumus	mālumus			
2	vultis	nōnvultis	māvultis		nōlīte	
3	volunt	nōlunt	mālunt		nōluntō	

(8) Fīō, fierī, factus sum.

Praes. fīo, fīs, fit; fīunt.
Praet. Imp. fīēbam, &c.
Fut. fīam, fīēs, &c.

(9) Edō, -ere, ēdī, ēsum.

Praes. edō, es, est, edimus, estis, edunt.
Imperāt. ede, este.
Īnfīn. esse.

§ 34. Partēs verbī prīncipālēs quae vocantur hae sunt quattuor: Praesēns et Perfectum Indicātīvī Modī, Praesēns Īnfīnītīvī Modī, Supīnum.

Ex hīs formantur aliae verbī partēs omnēs, e. g.

Praesēns Iaciō, iacior:

Praeteritum Imperfectum iaciēbam, iaciēbar, *Futūrum* iaciam, iaciar.

Participium Praesēns iaciēns, *Gerundium* iaciendum.

Īnfīnītīvus Iacere:

Imperātīvus Modus iace, iacite, &c.; iacere, iacitor, &c.

Perfectum Iēcī:

Praeteritum Perfectum Āctīvum iēceram.
Futūrum Perfectum Āctīvum iēcerō.
Īnfīnītīvus Āctīvus Perfectī Temporis iēcisse.

Supīnum Iactum:

Participium Perfectum Passīvum iactus.
Participium Futūrum Āctīvum iactūrus.
Perfecta tempora Passīvae Vōcis iactus sum, iactus eram, iactus erō.

§ 35. (1) *Verba Prīmae Coniugātiōnis.*

dō	dare	dedī	datum
secō	secāre	secuī	sectum
stō	stāre	stetī	statum
circumstō	-stāre	-stitī	(*dēest*)

(2) *Verba Secundae Coniugātiōnis.*

caveō	-ēre	cāvī	cautum
doceō	-ēre	docuī	doctum
fulgeō	-ēre	fulsī	(*dēest*)
iubeō	-ēre	iussī	iussum
maneō	-ēre	mānsī	mānsum
mordeō	-ēre	momordī	morsum
moveō	-ēre	mōvī	mōtum
removeō			
pendeō	-ēre	pependī	pēnsum
compleō	-ēre	-plēvī	-plētum
impleō			
prandeō	-ēre	prandī	prānsum
rīdeō	-ēre	rīsī	rīsum
sedeō	-ēre	sēdī	sessum
obsideō	-ēre	-sēdī	-sessum
sorbeō	-ēre	sorbuī	(*dēest*)
respondeō	-ēre	-spondī	-spōnsum
persuādeō	-ēre	-suāsī	-suāsum
teneō	-ēre	tenuī	tentum
sustineō	-ēre	-tinuī	-tentum
extergeō	-ēre	-tersī	-tersum
videō	-ēre	vīdī	vīsum
invideō			

(3) *Verba Tertiae Coniugātiōnis.*

carpō	-ere	carpsī	carptum
cingō	-ere	cīnxī	cīnctum
dīcō [1]	-ere	dīxī	dictum

[1] 2 sing. imperat. dīc.

dūcō [1]	-ere	dūxī	dūctum
addūcō			
prōdūcō			
gero	-ere	gessī	gestum
coniungō	-ere	-iūnxī	-iūnctum
intellegō	-ere	-lēxī	-lēctum
pingō	-ere	pīnxī	pīctum
regō	-ere	rēxī	rēctum
corrigō	-ere	-rēxī	-rēctum
ērigō			
pergō			
surgō			
scrībō	-ere	scrīpsī	scrīptum
dēscrībō			
stringō	-ere	strīnxi	strīctum
struō	-ere	struxī	structum
exstruō			
īnstruō			
sūmō	-ere	sūmpsī	sūmptum
trahō	-ere	trāxī	trāctum
extrahō .			
vehō	-ere	vēxī	vēctum
vīvō	-ere	vīxī	vīctum
prōcēdō	-ere	-cessī	-cessum
claudō	-ere	clausī	clausum
dīvidō	-ere	dīvīsī	dīvīsum
trānsfīgō	-ere	-fīxi	-fīxum
fluō	-ere	fluxī	fluxum
lūdō	-ere	lūsī	lūsum
mittō	-ere	mīsī	missum
dēmittō			
dīmittō			
praemittō			
praetermittō			
plaudō	-ere	plausī	plausum
premō	-ere	pressī	pressum
trūdō	-ere	trūsī	trūsum
invādō	-ere	-vāsī	-vāsum

[1] 2 sing. imperat. dūc.

cadō	-ere	cecidī	cāsum
accidō	-ere	-cidī	(*dēest*)
caedō	-ere	cecīdī	caesum
occīdō	-ere	-cīdī	-cīsum
canō	-ere	cecinī	cantum
currō	-ere	cucurrī	cursum
incurrō	-ere	-currī	-cursum
occurrō			
